

# PALAESTRA LATINA



*Wilhelm Segeler*  
*Valencia 10. Mai 1976*

ANN. XXIX (Fasc. IV) — N. 168  
M. A. DECEMBRI MCMLIX

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetis; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA (10)**  
vel ad **PROCURATORES singularum nationum**

Scripta ad Moderatorem: **Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)**

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permisso

## I N D E X

ANN. XXIX (Fasc. IV) N. 168

M. DECEMBRI A. MCMLIX

J. JIMENEZ, <i>Latina lingua communis sit inter doctos homines</i> . . . . .	189
J. M.º MIR, <i>Iterum de faciendis novandisque verbis latinis</i> . . . . .	203
AE. ORTH, <i>Lucretiana 1959</i> . . . . .	209
J. MORABITO, <i>Minois Aemulus</i> . . . . .	214
M. MOLINA, <i>Duo eadem via mendici</i> . . . . .	218
J. M.º MIR, <i>Nos in schola latine loquimur: Relationes loci</i> . . . . .	222
J. FABREGAS, « <i>Dilectis Dei</i> » . . . . .	226
J. IJSEWIJN - JACOBS, <i>Vox humana (II)</i> . . . . .	227
J. SIDERA, <i>Per Orbem: Alter Conventus latinae linguae usui instaurando Lugduni coactus</i> . . . . .	229
BIBLIOGRAPHIA, Aramendía, Mir, González, Marqués, Sidera . . . . .	238
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Nos in triclinio cenamus . . . . .	245
ARAMENDIA, <i>Adveniunt festivi Natalis Dni. dies...</i> . . . . .	246
Horatius Cocles . . . . .	248
Miscentes utile dulci: KEMPS, <i>De sex testudinibus; Eudamidas; Aenigma verborum</i> . . . . .	250
Bethlem, <i>Pastores venitel; Pirata et Alexander; Triangulus magicus; Calcitravit asinus</i> . . . . .	251
Ad saltum eculei; <i>Per telephorum; Domi, schola finita; Solutiones</i> . . . . .	252

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXIX (FASC. IV) — N. 168

M. DECEMBRI

A. MCMLIX

## Latina lingua communis sit inter doctos homines

Quae dissertatio a scriptore in Conventu Lugdunensi ad fovendam linguam latinam lecta est.

Sunt qui nos irrideant nobisque obtrecent quia communem linguae latinae usum inter doctos homines universos propugnamus. Quid enim ineptius —inquiunt— quam nos cogitata sensusque animi et communia hodiernae vitae vetere illo exprimere velle sermone, qui horridus hac aetate auribus nostris sonat, quique ipsis doctioribus hominibus captu difficilis evadit? Nonne hoc vesanorum hominum et mente fere captorum videtur?

Ita sane sentiunt «multi qui, mira progressionem artium abnormiter capti, latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere sibi sumant, ut quam maxime calculis et rationibus dediti et machinatores novae aetatis sint cives<sup>1</sup>».

Nec desunt docti homines qui causam contra nos agunt et contra linguae latinae usum ex iis ipsis qui humanioribus disciplinis et linguae litterisque latinis enixe dant operam, praenuntiantque nos oleum operamque perdere, cum de re meditemur nullius momenti, immo et commenticia omnino et vana<sup>2</sup>.

Nos vero de re agi magni momenti, et ad altiorem adolescentium institutionem, et ad humanum cultum universum, semel iterumque profiteamur, et de re praeterea quae, etsi his temporibus magnis difficultatibus implicata sit, omnium tamen nostrum studio, favore, conatu ad usum demum deduci possit et debeat.

Agemus igitur primum breviter de rei momento, deinde percontari

1. Joannes XXIII Pont. Max. his qui ex omnibus nationibus Romae, superiore mense aprili, Ciceronianum Conventum adierunt. Cf. *L'Osservatore Romano* (9, 4, 59); *A. A. S.* 51 (1959) 301-302.

2. *R. E. L.* 34 (1956)79.

curabimus fieri res possit et oporteat. Insequenti fasciculo rationem et viam quaeremus, qua citius aptiusque lingua latina communis tandem inter doctos homines devenire possit.

## I. DE REI MOMENTO

Jam vero momenti hujus rei argumentum sit Avennicus Conventus memoria, quo tot docti homines undique terrarum congregati sunt, et ubi tanta omnium concordia studioque consultum et decretum est de lingua latina instauranda et propaganda ad communem inter cultiores homines usum, ut ea demum dignitate et praestantia vigeret qua pristina jam aetate usque ad medium XIX saeculum inter doctos floruerat.

Adde tot in commentariis publicis de Conventu Avennico laudes et praeconia hinc inde prolata, quae testimonium quoque sunt hujus rei momenti<sup>3</sup>.

Argumentum sit etiam Lugdunensis Conventus congregatio. Hic Conventus —nisi fallor— progressum quendam ostendit et confirmationem in causa de lingua latina instauranda, quia in primis:

1) in eo viros et feminas audivimus latine loquentes qui Avennione latine loqui vix audebant;

2) in eo etiam multos socios invenimus qui in privatis colloquiis, per deambulationem, per prandium inter se latine colloquebantur;

3) fere omnes qui in generalibus seu publicis consessibus de re egerunt, aut latinam linguam adhibuerunt, aut brevem expositionem latine exaratam attulerunt, aut saltem veniam ab auditoribus rogabant, si lingua gallica aliave lingua loqui cogebantur.

Quid amplius de momento nostrae causae? Ipse Romanus Pontifex Joannes XXIII contra fautores novi cultus, latinitatis faces attollit, humanitatisque studia et alias id genus disciplinas maxime commendat, ut magis naturae et dignitati hominis aptas, et quibus animus magis excolatur et ornetur, «ne miseri mortales similiter ac eae, quas fabricantur, machinae, algidi, duri, et amoris expertes existant<sup>4</sup>». Jam vero, haec novissima Summi Pontificis verba, nonne vota nostra et consilia ad latinae linguae cultum et inter doctos homines usum confirmare videntur?

Nec est quod in rationibus immoremur quibus momentum hujus rei constat. Jam enim Priore Avennico Conventu fusius de hac re palam actum est argumentaque prolata sunt et testimonia, quibus usus linguae latinae ad commune inter doctores omnium populorum commercium confirmaretur<sup>5</sup>. Nunc igitur ulterius progredi opus est, et rationem viamque inquirere qua

3. *Revue de la Presse* (Avignon, 1959).

4. *Acta Apost. Sedis* 51 (1959) 301.

5. *Premier Congrès International pour le Latin Vivant*, pp. 112-116. Breviore modo postea hujus operis mentionem faciam his tantum verbis: *Latin Vivant*.

melius consilia votaue illius prioris conventus perficere et usu assequi possumus. Sed priusquam de via ipsa consulto dicimus, nonnulla praemittere oportet de rei difficultatibus, quae ab adversariis et obtrectatoribus perperam et plus aequo praedicantur.

Tria sunt, quae ab iis qui linguae latinae usum restitui oportere negant, adversus nos afferri solent: unum, quod lingua latina nimia egestate laboret ad eas praesertim res, quarum nulla fuit apud Romanos notitia vel usus; alterum, quod ipsius linguae alta cognitio hac nostra tempestate difficillima est ne dicam supra naturam; tertium, quod contra linguam litterasque latinas hic et nunc ubique fere terrarum animi ab ea lingua discenda maxime aversi sunt. Qui tamen num rectum iudicium ferant paucis disquiramus.

Atque re vera, latinae linguae perfecta cognitio et usus arduum negotium est; quam non nisi post longum tempus multaue studia et conatus adipisci possumus. Errant ergo qui linguam latinam facilem captu faciunt et commendant. Nec haec lingua ita simplex est ut facile et ab omnibus brevi lapsu temporis disci possit, nec hac nostra aetate ita sunt animi parati et intenti, nec rerum adjuncta talia sunt ut facilis omnibus fiat et grata hujus linguae alta cognitio. Sed non est in animo fusius de hac re disserere; nonnulla tantum summatim praemittam de difficultate ipsius linguae latinae, de difficultate eam recte cognoscendi, de difficultate demum quae ex rerum temporumque adjunctis exsurgit.

1. Primum ipsius linguae latinae egestatem ultro praedicant clari scriptores latini. Plinius<sup>6</sup> epigrammata graeca commendat eaque aemulanda sibi potius quam latina suscepit, quia ea, inquit, «imbecillitate ingenii mei, deinde inopia ac potius, ut Lucretius ait<sup>7</sup>, egestate patrii sermonis», melius aemulari et exprimere liceat; quanquam Cicero et alii scriptores saepe aliter sentiant; Cicero enim negat patrii sermonis inopiam et egestatem: «In quo genere tantum profecisse videmur ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur<sup>8</sup>». Et alibi: «Sed ita sentio et saepe disserui, latinam linguam non modo inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiozem etiam esse quam graecam<sup>9</sup>».

Ipsae Cicero palam de praestantia latinorum scriptorum scribit: «Sed meum semper iudicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta illis fecisse meliora<sup>10</sup>. Et etiam: «Bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore graecorum<sup>11</sup>».

6. Plin., *Ep.*, IV, 18.

7. Lucr., *De rerum nat.* I, 830-832; cf. I, 136-145; III, 258-260.

8. Cic., *De nat. deor.* 1, 4, 8.

9. Cic., *De fin.* 1, 3, 10.

10. Cic., *Tusc.* 1, 1.

11. Cic., *Or.* 49, 164.

2. At linguae latinae perfecta cognitio quam difficilis sit, quis non videat?

Tot verborum declinationum et conjugationum genera, tot singulorum verborum variae formae, tam implicata verborum conjunctio et ordinatio, tanta sermonis penuria ad res et cogitata hodiernae vitae exprimenda, nonne haec omnia linguam latinam difficilem reddunt ad communem inter doctiores homines usum?

Jam vero quanta ejusmodi difficultas sit ex iis quae clarus Hamletus Tondini<sup>12</sup> dicit breviter exquiramus: «Linguae enim cujusvis summa —inquit— lexico, nisi fallimur, et grammatica praefinitur. Atqui quod ad primum attinet, ut exemplum supponamus, numquid iis gentibus qui anglica lingua loquuntur difficilius putandum est lexicon linguae latinae quam lexicon cujusvis e slavonicis vel e germanicis linguis? Neque aliter de latinae linguae grammatica sentiendum esse existimamus. Nam quod in ea addiscenda praecipue esse operosum vulgo putatur, ratio scilicet nominum verborumque inflectendorum modo recta discipulorum instituendorum ineatur via, paucorum negotium esse mensium experti novimus. Neque nimis virium a discipulis afferendum esse videtur ut ea syntaxeos praecepta memoriae mandent, quibus iter ad auctorum optimorum lectionem sternitur».

At linguae latinae lexicon, iis saltem qui linguis romanis loquuntur, non est difficile dicendum, cum tam plurima verba communia inter se habeant, ideoque lexicon latinum iis saltem nationibus facillimum fiat. Esto; sed exstant adhuc ipsius linguae difficultates, de quibus paulo ante diximus. Adde quod in ipsa verborum convenientia atque adaequatione latet specialis quidam scopulus, immo et difficultas, quia saepissime verba conveniunt tantum sonu vocis, minime sensu. Vertentibus enim saeculis, teste Horatio<sup>13</sup>,

*multa renascentur quae jam cecidere, cadentque  
quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,  
quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.*

Sunt certe multa vocabula quae a sensu latino in novum sensum deflexa sunt, ideoque eorum interpretatio et usus difficilior evadit iis qui his verbis in communi loquendi commercio utuntur, sensu tamen diverso<sup>14</sup>.

3. Sequitur tertium accusationis argumentum, ex eo desumptum quod ubique fere terrarum gentes ita ab studio et amore linguae latinae recesserint et declinaverint, ut vix jam inveniri possint docti homines qui plenam lin-

11. Cic., Or. 49, 164.

12. H. Tondini, *Communis omnium doctorum sermo Latinus esto*, «Latinitas» 2 (1954) 92.

13. Hor., *De arte poetica*, 70-72.

14. Cfr. Marouzeau. *La traduction du latin*, pp. 51-63. Paris, Les Belles Lettres, 1943, Tertia edit.

guae latinae cognitionem et usum habeant, plurimi in quos nulla notitia aut minima ipsius linguae permanerit. Quid ergo dicendum?

Fautores et oratores Avennici Conventus ad linguam latinam fovendam hic rei status non fugit. Ipse Joannes Capelle, strenuus hujus motus pro lingua latina antesignanus, palam in augurali oratione sententiam protulit de labili cadentique statu linguae latinae, quod tamen nequaquam obstare debet —ita clarus ille vir sentit— quominus ipsius cultum magis in dies suscitemus et aptiorem reddamus ad scientiam acquirendam atque evulgandam et ad mutuuum inter doctiores commercium<sup>15</sup>.

Simili modo Joannes Bayet, Ericus Burck, Goduinus Beach, Dr. J. Enk aliique non pauci<sup>16</sup> de ingravescenti linguae latinae hodierna inclinatione et defectu aperte et sine ambagibus locuti sunt. Ubique cultus studiumque linguae latinae videtur segnius procliviusque delabi. Ubique spatium temporis minuitur huic linguae tribuendum. Nec desunt nationes, in quibus lingua latina civitate illa careat, qua hodiernae linguae donantur. Illa praesertim exercitia obsoleverunt quae maximi momenti sunt et utilissima putantur ad altam linguae latinae cognitionem. Sed, ne causas omnes attingam, quibus lingua latina a vetere pristinoque honore paulatim decederit, velim mecum attente cogites qua alacritate, quo amore in vias linguae latinae, tot angustiis anfractibusque implicatas, pueri jam nimium disciplinarum sarcina gravati ingredi possint, nunc cum discipuli saepe non pauci a linguae latinae studio tamquam a malo omine avertantur ipsorum parentum exemplis et verbis, immo —quod deterius est— pessima magistrorum institutione et ignavia?

Re vera non est dubium quin lingua latina in dies per orbem terrae languescat. Solliciti anxiique haerent animo humaniores viri qui morbum denuntiant, causas exquirunt, remedia praebent. Sed non opus est omnia singillatim attingere, praesertim cum de hac re jam dudum in PALAESTRA LATINA egerim<sup>17</sup>. Satis est dicere de re agi haud parvi momenti, quam ut adispiscamur prius nobis consulto opus est et, ubi consuluerimus, mature

15. Dr. Capelle, cum primum anno 1952 de lingua latina, *Lingua universalis* egit, haec scripsit: «Une telle question paraît bien téméraire au moment où le latin est de plus en plus délaissé dans son domaine naturel qu'est l'enseignement secondaire au profit des options modernes et techniques considérées comme mieux adaptées aux besoins de la vie pratique». Cf. *Latin vivant*, p. 10. — Ipse Dr. Capelle in consessu augurali Avennici Conventus haec dixit: «Notre rencontre intervient à une époque où les études latines sont en déclin, en péril même, et où il semble qu'avec la promotion des Lettres Modernes et d'un nouvel humanisme celui qui se développe à nos yeux sur la civilisations des machines, le latin doive être renvoyé à un petit nombre de spécialistes, comme le sanscrit». Cf. *Latin vivant*, p. 40.

16. *Latin vivant*, p. 51 (Bayet), p. 61 (Burck), p. 80 (Beach), p. 116, (Enk), p. 136 (Malcovati), p. 152 (Fohalle).

17. Jiménez Delgado, *Quo modo lingua latina iterum universalis deveniat*, «Palaestra Latina» n. 158 (1957) 161-171.

facto. Quae cum ita sint, in consilio inceptisque constanter permanere oportet, quin unquam nos a recto proposito abducant difficultates, quaecumque sint, nec adversariorum impugnationes. Nam si, teste Horatio<sup>18</sup>, dimidium facti qui coepit habet, nos qui primo illo faustissimo Conventu Avennico ante hos tres annos coepimus, quique postea societate vincti, cui titulus est «Vita Latina», ulterius progressi, tanto animi fervore tantaque futuri exitus fiducia firmati, Lugduni congressi sumus, nonne hoc nobis erit argumentum, omen, augurium rei fauste in posterum bene gerendae?

## II. RES FIERI POTEST ET DEBET

Jam vero linguam latinam communem esse posse inter doctos et humaniores homines nemo non videt, cum per tot saecula ubique terrarum communis exstiterit artium, ac disciplinarum omnium clavis et universale vehiculum. Latine enim juvenum institutio fiebat et disciplinae omnes ubique tradebantur et opera scientifica typis edī et vulgari coepta sunt. Tunc temporis totius orbis sapientes latine commercia publico et privato litterarum et doctrinarum cultu maxime fovebant; tunc Studia illa Generalia seu Universitates, undique congregatis discipulis, apprime vigeabant; tunc doctrinae et nova opera passim facile vulgabantur et ad ultimas terras pervagabant. Quid ergo dicendum de usu latinae linguae in Ecclesia Catholica? Quid vero de ipsius diuturnitate et perennitate? Nescio an alia lingua, praeter latinam, inveniatur, quae per tam longum temporis spatium tam fixa et tam sibi constans permanserit. Linguam enim latinam, si exteriores tantum quasdam easque perexiguas notas ex ea excipias, a Plauti Enniique aetate usque ad decimum ferme saeculum post Christum natum eadem perpetuo sibi similem apud omnes humaniores scriptores exstitisse constat.

Neque tantum his decem post Christum saeculis, sed ad nostram fere aetatem lingua latina permansit una qua scriptores uterentur et ad litterarum cultum, et ad disciplinas, et ad res sacras in Ecclesia Catholica.

Atque re vera:

A) AD LITTERAS. — Nam illis cadentis aetatis saeculis monachi, nonne jugi studio et labore antiqua litterarum monumenta codicibus seu manu scriptis posteritati asservarunt? Cum vero post magnum Medii Aevi naufragium, humana philosophia serena fronte se praebuit, nonne tum illi latinus adfuit sermo, validissimum quidem et ad pervestigandam veritatem et ad evulgandam instrumentum? Stus. Thomas, Scotus, Leibnizius, Suarezius, ceterique scholastici scriptores, prout tempora illa ferebant, nonne cogitata sua omnes latine expressa reliquerunt? Quid vero si de humanioribus scriptoribus sermonem instituimus? Nonne omnes verbis atque exemplis linguam

---

18. Hor., *Epist.* I, 2, 40.



litterasque latinas magnis extulerunt laudibus easque vehementi studio excoluerunt?

Eorum nomina qui a temporibus litterarum humaniorum renatus magni fecerunt linguam latinam quis numerare potest? Quam multi scripta latine ediderunt classicis scriptoribus non indigna? Inter quos minime tacendi sunt Franciscus Petrarca, Laurentius Valla, Pomponius Laetus, Petrus Bembo, Poggius Bracciolini, Jacobus Sadoletus, Pontanus, Erasmus, Thomas Maurus, Budaeus, Ludovicus Vives, Antonius Nebrissensis, Sanctius Brocensis, Sili-ceus, Latomus, Antonius Muretus, Marius Nizolius, Jacobus Facciolati, Aegidius Forcellini, sescentique alii.

Satis sit haec eorum pauca testimonia tantum proferre.

Ludovicus Vives in praefatione *Colloquiorum de Lingua Latina* haec habet digna quae animo infigantur: *Latinae linguae permagnae sunt et ad loquendum et ad recte sentiendum utilitates; est velut thesaurus quidam omnis eruditionis; quoniam magna et praestantia ingenia latino sermone disciplinas omnes conscripserunt, ad quas nemo potest pervenire nisi per linguae illius cognitionem.*

Notissimum est illud Aldini effatum: *Doctorum lingua atque eruditorum latina semper fuit*<sup>19</sup>.

Inter scriptores prioris saeculi nescio an quis Arturo Schopenhauer, notissimo philosopho (1788-1860) praeponendus sit, cum de praestantia et usu linguae latinae disserit. Notanda sunt haec quae sequuntur verba<sup>20</sup>:

«Cum unaquaeque lingua nos alio modo cogitare cogat, nova quoque addiscenda alter cogitandi ratio efficitur et quasi novo quodam colore tingitur, ut multarum linguarum cognitio non solum hanc utilitatem praebet, ut aliorum populorum libros legere possimus, sed etiam opiniones nostrae variis modis et tenuissimis discriminibus significationem verborum corrigantur perficianturque et celeritas cogitandi augeantur, cum multis linguis addiscendis notiones a verbis quasi liberentur ac solvantur. Quod emolumentum veteres linguae multo certius praebent quam recentiores. quod a nostra magis abhorrent neque ad verbum iis nostra cogitata reddi possunt, immo postulant, ut nostras sententias totas quasi recoquamus, id est in aliam formam convertamus. Itaque raro longior aut gravior aliqua sententia de recentioribus linguis ad verbum in sermonem latinum transferri potest, sed cogitata omnibus vocabulis quibus nunc continentur, liberanda sunt, ut quasi nuda in mente versentur, tum autem novo quodam corpore sunt vestienda; substantiva enim, ut hoc utar exemplo, saepe verbis exprimi debent. Atque haec, ut ita dicam, metempsychosis vel in aliam naturam conversio vehementer prodest cogitandi rationi; est enim similis statui, qui in arte chemica dicitur, nascenti, cum simplex materia e composito quodam proficiscitur in aliam materiam transitura, in hoc vero transituram singularem habet vim, quantam nunquam alias, et id efficit, quod nulla alia condicione potest efficere. Idem autem praestat sententia omnibus vocalibus privata et ex alia in aliam transiens linguam. Haec est causa, cur veteres linguae per se ipsae ingenia excolant atque alant.

19. I. A. Aldini, *De vera latinae linguae fortuna* (Casenae, a. MDCCLXXV).

20. A. Schopenhauer, *Opera Omnia*, ed. Grisebach, vol. V, 299 paragr.; cf. «Latinitas» 6 (1958) 44; «Ephemerides Liturgicae» 71 (1957) 63-68: *De linguae latinae disciplina*.

Ceterum qui Latine nescit similis est homini in amoena regione versanti, sed nebula circumfuso, ut parum prospiciat et ultra paucos passus omnia incerta et dubia videat. Praeterea qui latine nescit in plebecula numerandus est. licet peritissimus sit artis physicae et chemicae.

Aemilius Springhetti, cl. Romae in Universitate Gregoriana Professor, opus edidit, cui titulus, *Selecta Latinitatis Scripta*, in quo scriptores recentiores collegit, a saeculo XV usque ad XX saeculum, qui linguae latinae exempla testimoniaque clariora nobis reliquerunt<sup>21</sup>.

Nec desunt hac nostra aetate viri strenui qui lingua latina splendido et eleganti dicendi stilo et genere utantur. Scriptores italicos praecipuos memorat Guerinus Pacitti in commentariis, quibus nomen est *Latinitas*<sup>22</sup> et *Studi Romani*<sup>23</sup>, eos praesertim qui in Certamine Capitolino et Vaticano victoriam nuper reportarunt. Ipse Guerinus Pacitti diserte et copiose de eo loco agit quem hisce nostris temporibus lingua latina apud Italos obtinuerit<sup>24</sup>. De cultu vero linguae latinae apud Belgas, Batavos, Hispanos, Bavaros, Hungaros, Suecos, Americanos Civitatum Foederatarum, Neograecos, Jugoslavos multi scriptores disseruerunt in commentariis, quibus titulus est *Per lo studio e l'uso del latino*, Romae, non multos ante hos annos, Carolo Galassi Paluzzi moderatore, editis<sup>25</sup>.

Nostrum non est nomina hic referre eorum omnium qui maxime de lingua latina hac nostra aetate meriti sunt. In commentariis quae nunc latine eduntur (*Latinitas, Palaestra Latina, Acta Diurna, Vita Latina*<sup>26</sup>) vel quae paulo ante edita sunt (*Vox Urbis, Alma Roma, Scriptor Latinus, Societas Latina, Umfia, Lygia, Palaestra*)<sup>27</sup> clariorum scriptorum nomina invenies. Liceat

21. Aem. Springhetti, *Selecta Latinitatis Scripta Auctorum Recentium* (saec. XV-XX), Romae, 1951.

22. G. Pacitti, *Quem locum nostris hisce diebus lingua latina obtineat*, cf. «*Latinitas*» 2 (1954), 153-156.

23. G. Pacitti, *Il latino «lingua viva»*, cf. *Studi Romani* 1 (1953) 67-73; 193-194; 317-319.

24. G. Pacitti, «*Latinitas*» 2 (1954) 153-156.

25. «*Per lo Studio e l'uso del latino*». Bollettino Internazionale di studi, ricerche, informazione. Direttore: C. Galassi Paluzzi. Redattore: Guido Rispoli. Istituto di Studi Romani editore. In his commentariis de statu linguae latinae apud varias gentes relationes nonnullae prodierunt. Saepe similes relationes prodeunt in commentariis «*Revue des Etudes Latines*», «*Estudios Latinos*», «*Palaestra Latina*».

26. *Latinitas* (Città del Vaticano), Commentarii linguae latinae excolendae quarto quoque mense ex officina Libreria Vaticana prodeuntes. — *Palaestra Latina*, Trimestres litterarum latinarum commentarii Barcinone (Lauria, 5) edendi. — *Acta Diurna* a Societate Orbiliana in Anglia in lucem prolata (The Orbilian Society: The Grammar School, Blackpool. — *Vita Latina* (7, place Saint-Pierre, Avignon).

27. Romae prodierunt et per multos annos editi sunt, primum *Vox Urbis*, postea *Alma Roma*, menstrui de lingua latina commentarii. Anno 1942 *Alma Roma*, extincto Josepho Fornari moderatore, edita est. — *Scriptor Latinus*, Francofurti ad Moenum edita coepta est mensura ad linguae latinae humanitatisque studium commentarius. — *Societas Latina*, periodicum Societatis eodem nomine appellatae, in sede ipsius Societatis (München, 8. Maximilianeum)

tamen mihi, venia prius de oblitis viris rogata, eorum proponere nomina, quibuscum mihi antiquior usus et epistulare commercium intercessit aut quorum nunc ex tempore memini. En tibi litterarum ordine disposita, clariora nomina: Andreas Avenarius, Goodwin Beach, Antonius Bacci, Petrus Bruno, Fabius Capaiuolo, Josephus Del-Ton, Carolus Egger, J. Enk Groningensis, Josephus Fornari, Josephus Fonts, Joseph Eberle, Joannes B. Gandino, Victorius Genovesi, Aloisius Guercio, Augustus Haury, Josephus Holzer, Emmanuel Jové, Josephus Llobera, Georgius Lurz, Josephus M.<sup>a</sup> Mir, Josephus Morabito, Aemilius Orth, Guerinus Pacitti, Hugo Henricus Paoli, Joannes B. Pighi, Felix Sánchez Vallejo, Raphaël Santarelli, Aemilius Springhetti, Hamletus Tondini, Quintus Tossati, Thomas Viñas, Josephus Wagner. Eorum omnium singula merita celebrare, praesertim eorum qui jam vita functi sunt, non est hic locus. Res ergo in aliud tempus differenda.

Sed non est dubium quin linguae latinae usus a saeculo praeterito minui coeptus sit inter humaniores homines et doctos scriptores. Vehementer sane de hac re querebatur laudatus ille philosophus Arturus Schopenhauer<sup>28</sup>:

«Pessime —inquit— actum est cum artibus liberalibus, quod sermo Latinus non jam sit lingua communis omnium doctorum. Hujus enim solius sermonis usu fieri potuit, ut in Europa existeret communis res publica doctorum, quorum in usum olim omnes libri scribebantur. Atqui numerus hominum acute cogitantium suoque iudicio utentium per se ipse tam est exiguus, ut, si eorum civitas finibus linguarum dilaceratur, maximum damnum inferatur salubri eorum auctoritati. Praeterea ad hoc damnum adjicietur alterum idque majus etiam, ut veteres linguae disci desinant. Quas jam in Francogallia et Germania magis in dies neglecti videmus. Quid, quod circiter anno p. Chr. n. MDCCCXXX Corpus Juris in Germanicum conversum est, nonne hac re evidenter portendebatur barbariem ingruere, cum fundamentum omnium doctrinarum, sermo latinus, ignorari coepisset. Nostra vero aetate res eo venit, ut scriptores cum graeci tum latini edantur cum adnotationibus theodisce (hoc est, *germanice*) scriptis, quo nihil potest cogitari foedius aut abjectius et indignius. Cujus rei vera causa est, quod editores, utcumque se excusabunt, ipsi jam nesciunt latine scribere. Adulescentes autem istis ducibus libentissime ingrediuntur viam pigritiae, ignorantiae, barbariei. Expectaram hoc facinus in actis litteratis vituperatum iri, sed cum admiratione vidi istos sine ulla nota censoria dimissos esse, quasi recte fecissent. Censores nimirum eadem sunt ignorantia, fortasse etiam cognati editorum aut redemptorum vel bibliopolarum.

A) AD DISCIPLINAS. — Vertente saeculo XIX Nodarius<sup>29</sup>, sicut paulo ante laudatus Arturus Schopenhauer, urgebat necessitatem latine tradendi

editum. — *Umfa*, revue mensuelle de l'Union Médicale Latine, Paris, praeconium societatis «UMFIA»: Union Médicale Franco Ibéro-Américaine. — *Lygia*, commentarii Societatis Linguae usui internationali adaptandae, Varsoviae apud Julium Krzyzanowski editi. — *Palaestra*, Leopoli in Universitate (Lwow-Lemberg, via Armeniorum 8) edita.

28. A. Schopenhauer, *Opera Omnia*, ed. Grisebach, vol. V, 255; cf. *Latinitas* 6 (1958) 47, ubi auctores nonnullos invenies qui jam pridem monuerant, ne studium linguae latinae neglegeretur, quibus addi potest, inter alios, Q. Moderatus Censorinus, *De vita et morte latinae linguae paradoxa philologica* (Ferrariae MDCCCLXXX), opus quidem omni laude dignum.

29. A. Nodari, *De lingua latina* (Patavit, MDCCCXXIX).

omnes disciplinas, etiam naturales, ad quod lexica specialia requirebat, quae res novas novis vocabulis significandas colligerent.

Quod si quis nihilo secius contendat — haec habet clarus H. Tondini<sup>30</sup> — Romanorum sermonem ad ea significanda deficere, quae vel hodierna vivendi consuetudo invexit vel doctorum investigationes pepererunt, adeat, si vacat indices illos bibliographicos, quos vocant, ad saeculum XVIII in lucem datos; inter alios Morhofii *Polyhistorem*<sup>31</sup>. Quot in eo recensentur doctorum virorum de rebus philosophicis, theologicis, historicis, oratoriis, poeticis, ceteris, latine scripta! Legat etiam, si vult, de eadem re Gagliuffi testimonium<sup>32</sup>:

«Latine et satis latine scribebantur disputationes severissimae de iure publico, poëmata didascalica de pulcritudine veritatis nobilitanda, demonstrationes difficillimae de studiis mechanicis, hydraulicis, opticis, et astronomicis, breviter et graphice pingebantur vegetantia, fossilia, animalia; facillime vulgabantur leges Keplerianae et prima tubi Torricellini prodigia; evidentissime narrabantur experimenta de vi electrica, de vi magnetica, de actione caloris, de multiplici aëreorum fluidorumque natura. Si heri, cur non hodie, cur non cras?».

Ipse Hamletus Tondini magna exemplorum copia evincit doctos homines praeclaro quasi instrumento sermone latino ad quaslibet res significandas et usos esse et uti nostris quoque diebus<sup>33</sup>. Ab arte medicina principium sumens (pp. 25-36) exempla proponit quam plurima variorum generum infirmitatum et remediorum ex editis his postremis saeculis operibus, quin silentio praetereat illud Josephi M. Mir, C.M.F., opusculum *de medicamentis ab Alexandro Fleming recens inventis*<sup>34</sup>. Deinde exempla affert de re mathematica, astronomica, physica, pictorica (pp. 36-42), operibus non paucis ad infimam paginam allatis, quae de his rebus consulto latine agunt. De rerum novarum latina significatione exempla nonnulla proponit, quibus luculenter confirmet, posse nos utique hodie latino sermone res novas apprimè exprimere (pp. 42-52). Atque in primis de rebus agit, quae in cotidiano communi-que vitae usu in praesens versantur; postea de ludis qui nunc maxime vigent, ut de follis calciumque contentione, de birotulariorum certaminibus, de exercitationibus quae per montium nives prolabendo magis in dies placent; denique de praecipuis nostrorum dierum inventis ut exempli gratia, de telegraphio, de telephonio, de grammophonio, de cinematographeo, de teleoramate, mirifico illo machinamento, quo agente, sive longinquas rerum figuras sive sonos uti praesentes et aspiciamus et audimus.

30. H. Tondini, *Latinitas* 2 (1954) 91.

31. D. G. Morhofii, *Polyhister litterarius*, editio IV (Lubecae, MDCCXXXIII).

32. F. Gagliuffi, *Specimen de fortuna latinitatis* (Augustae Taurinorum, MDCCCXXXIII)

33. H. Tondini, *Linguae latinam ad omnium doctrinarum commercium esse ubivis aptam exemplis demonstratur*, cf. *Latinitas*, 3 (1955) 24-52.

34. Auctor in Certamine Vaticano est publica laude honestatus hoc opusculo, quod paulo post editum est in commentariis quibus est titulus *Latinitas* 3 (1955) 103-109: *De Alexandri Flemingi salutaribus inventis*.

Clarissimi Hamleti Tondini sententia et conclusio est, *linguam latinam, nostris etiam diebus, aptissimum omnium esse instrumentum, quo cujusvis gentis docti homines utantur ad suae mentis cogitata, ad suaeque sollertiae inventa mutuo communicanda*»<sup>35</sup>.

C) AD RES ET DISCIPLINAS SACRAS IN ECCLESIA CATHOLICA. — Linguam latinam natam ad hoc esse facile patebit, si documenta nonnulla posteriorum Romanorum Pontificum, per summa quasi capita attigerimus seu primoribus — ut ajunt — labris gustaverimus. Haec vero documenta manifesto monstrabunt linguam latinam ab Ecclesia Catholica servatam esse, servari et in perpetuum servatum iri ut instrumentum et vinculum unitatis atque humani cultus fundamentum.

1) **Leo XIII.** — In Epistula *Plane quidem intellegis*, ad Card. Urbis Vicarium, latinam linguam enixe commendat<sup>36</sup>:

«Immo apud nos plus est priscorum romanorum litteris tribuendum, tum quod est latinus sermo religionis catholicae Occidente toto comes et administer, tum etiam quia in hoc genere aut minus multi aut non nimis studiose ingenia exercent, ita ut laus illa latine cum dignitate scribendi passim conuenisse videatur».

2) **Pius X.** — In Epistula S. C. Studiorum *Vehementer sane*, ad Episcopos universos, haec de lingua latina memoranda habet<sup>37</sup>:

«In primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadverti volumus, linguam latinam jure dici et esse linguam Ecclesiae propriam. Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, sacerdotes disjunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in quam sacri libri Veteris Novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat preces, Sacrum facit omnesque sacros ritus et caerimonias, quas Liturgia praescribit, exsequitur. Quin etiam Summus Pontifex et sacra Consilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt. Sed praeterea lingua latina cum philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Cum enim ipsius vis et natura ea sit, ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a Media quae vocatur Aetate usque ad totum saeculum XVIII eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de Theologia, sive de Jure Canonico, sive de Philosophia, et magistri in iisdem docendis disciplinis».

3) **Benedictus XV.** — Hic Romanus Pontifex in Litteris S. C. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus *Vixdum Sacra Congregatio*<sup>38</sup>, 9 oct. 1921, enixe commendat linguarum tum latinae tum patriae cultum et Epis-

35. H. Tondini, cf. *Latinitas* 3 (1955) 51.

36. *Enchiridion Clericorum*, n. 338, p. 172.

37. *Enchir. Cler.*, n. 820-822, p. 172.

38. *Enchir. Cler.*, n. 1125, pp. 581-582.

copos adhortatur ut diligenter provideant, «ut studium latini sermonis, qui Religionis Catholicae Occidente toto comes est et administer, in spem veteris gloriae revirescat».

4) **Pius XI.** — Semel iterumque Pius Papa XI latinam linguam commendavit. In Epistula Apostolica *Offictorum omnium*, 1 aug. 1929<sup>39</sup>, agit primum de lingua latina:

«In litterarum clericorum ludis omni cura fovenda, ita ut eam omnes scientia et usu habeant recte perceptam; quod non tam humanitatis et litterarum, quam religionis interest, quia sermo latinus divinitus provisum est ut mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque christi fidelibus doctoribus ex omni genti magnum ministraret vinculum unitatis, ita dando scilicet non solum unde, vel locorum intervallo disjuncti vel in unum locum congregati, facile inter se sensa mentis et consilia conferrent, sed etiam, quod majus est, unde quae Ecclesiae matris sunt altius cognoscerent et cum Ecclesiae capite arctius cohaerent».

Ipse Pius XI, in alia Epistula Apostolica, *Unigenitus Dei Filius*, 19 mart. 1924, ad summos Moderatores Ordinum Regularium aliarumque Sodalitatum religiosorum virorum<sup>40</sup>, iterum commendat linguas praesertim latinam et patriam.

Nec his tantum documentis linguam latinam fovendam Pius Papa XI curavit. Edidit etiam paulo post Motum Proprium *Latinarum Litterarum*, 20 oct. 1924<sup>41</sup>, vi cuius apostolica auctoritate peculiaris Schola Romae apud Universitatem Gregorianam instituit litteris latinis traderet. In eo Motu Proprio instat iterum commendatque cultum et plenam scientiam latini sermonis in clero, quod maxime, tam humani civilisque profectus, quam religionis interest, praesertim ut Romanae Curiae, Cancellariis episcopalibus, religiosis Sodalitatibus adiutores seu officiales non desint, qui in decretis sententiisque conficiendis, in epistularum, quod vocant, commercio, tam decore latinum tractent sermonem, ut eorum scripta Ecclesiam, optimarum artium altricem, nullo pacto dedeant.

5) **Pius XII.** — Inter tot tantique momenti negotia muneris sui hic Romanus Pontifex cultum linguae latinae non neglexit.

In oratione *Magis quam*, 23 sept. 1951<sup>42</sup>, ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, aegre dolet de incuria in lingua latina colenda. Ejus verba digna sunt quae albo lapillo inscribantur, ut ignaviam et negligentiam, si qua in nos nostrasque scholas irreperit, longe depellamus.

«Pro dolor! latina lingua, gloria sacerdotum<sup>43</sup>, nunc languidiores usque et pauciores habet

39. *Enchir. Cler.*, n. 1154, pp. 606-608.

40. *Enchir. Cler.*, n. 1185, pp. 636-637.

41. *Enchir. Cler.*, nn. 1200-1202, pp. 644-648.

42. *Acta Apost. Sedis* 43 (1951) 737.

43. Aem. Springhetti, *Lingua latina, gloria sacerdotum*, cf. *Monitor Ecclesiasticus* 7b (1951) 659-676.

cultores! Quid digne celebret hunc imperialem sermonem — βασιλική γλώσσα a Graecis appellabatur— quae vera non enuntiat sed sculptit, quae in edictis et sententiis peculiari splendet gravitate, quae in Latina Ecclesia liturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loqui! Praeter haec utinam oriantur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti dicendi genere eam scribere valeant» 44.

Exstat etiam, ex Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus, Epistula. 27 oct. 1957, ad Excellentissimos locorum Ordinarios data, *De latina lingua rite excolenda*. In ea negligentia et incuria linguae latinae in ipsis clericorum seminariis palam significantur et remedia proponuntur, quibus recta et fructuosa linguae latinae institutio instauretur et maxima veneratione colatur lingua quae vere imperialis est et propria Ecclesiae et Sacerdotis 45.

5) **Joannes XXIII.** — Demum qui nunc moderatur Ecclesiam Catholicam recens iis, qui Romam ex omnibus nationibus ad Ciceronianum Convantum celebrandum convenerant, paterno amore et gaudio in Aedibus Vaticanis acceptis, postquam eis primum gratulatus est de praeclaris studiis, quibus ipsi acriter et diligenter darent operam, queri postea coepit de iis, qui mira progressionem artium abnormiter capti, latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel coercere non desinunt, eisque hanc magni quidem momenti adhortationem instantissime protulit:

«Hac ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eae quas fabricantur machinae, algidi, duri, et amoris expertes existant» 46.

Ex his allatis testimoniis a posterioribus Summis Romanis Pontificibus desumptis, haec quae sequuntur satis constant:

I. Linguam latinam longo tractu temporis fuisse inter doctos communem et ad artes humaniores et ad res scientificas tradendas et evulgandas.

II. Eam magno honori semper et ubique Ecclesiae Catholicae fuisse eamque ut propriam et imperialem linguam omnibus, clericis praesertim, sine ulla intermissione temporis semel iterumque commendatam esse.

III. Eam aptam ad quaecumque mentis cogitata exprimenda et animi sensus, etiam de rebus recens inventis, semper habitam esse.

44. *Acta Apost. Sedis* 50 (1958) 292-296.

45. De hac Epistula inter alios disseruerunt: M. Noirot, *Le latin, langue vivante de l'Eglise*, «L'Ami du Clergé», 68 (1958) 537-546. — J. M. Mir, C. M. F., *De lingua latina rite excolenda*, «Palaestra Latina», n. 165 (1959) 1-19; «Commentarium pro Religiosis», 38 (1959) 94-111. — J. Campos, Sch. P., *Una vez más sobre el grave problema «De lingua latina rite excolenda»*, «Helmantica», 10 (1959) 207-220.

46. *Acta Apost. Sedis* 51 (1959) 301.

IV. Eam, per tot saecula ab Ecclesia Catholica et a doctis hominibus usitatam, humani cultus fautricem fuisse et religiosae populorum concordiae servatricem, ita ut de lingua latina dici possit quod Plinius<sup>47</sup> de Roma dicebat: «*tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraxit*».

Quae cum ita sint, nequaquam supervacaneum nec commenticium dicendum consilium de usu linguae latinae nostra aetate inter doctos et humaniores homines, tum in frequentioribus ex omnibus nationibus conventibus, tum in libris et commentariis majoris momenti edendis, tum in epistulari doctorum commercio, tum in disciplinis tradendis, praesertim in Athenaeis seu Universitatibus, quae et alumnorum numero et gentium varietate celebriores putantur. Ita fiet ut docti homines ubique terrarum facile inter se intellegi possint, et libri et commentarii praecipui, sine interprete, legi possint ab omnibus qui humanioribus litteris vacaverint. Nonne hoc videtur mirificus quidam et singularis fructus ex linguae latinae institutone? Mihi saltem ita jucunda adolescentium in lingua latina institutio apparet ut non modo omnes abstergeat hujus laboris molestias et eas quae feruntur Aetna graviores difficultates, sed vitam efficiat mollem, laetam, magnique commodi, cum ex ea maxima gignatur animorum conjunctio et doctorum omnium sociata civitas.

Unde exstat conclusio: Latinus sermo his quoque temporibus doctrinarum omnium et disciplinarum communis esse potest et debet.

Sed cum magni momenti sit non tantum finem rei seu objectum praestituere, sed etiam ea inquirere quae magis consentanea et convenientia sint ad hunc finem obtinendum, agere quoque oportet de ratione et via qua sermo latinus universalis iterum deveniat.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

---

47. Plin., *Nat. Hist.* III, 3



# Iterum de faciendis novandisque verbis latinis

*Josephus Ijsewijn, clmus. rerum investigator apud Belgas, iterum de faciendis aptandisque novis verbis disputavit; idque PALAESTRAM LATINAM legentes, ex fasciculo 167, p. 159 mense octobri hujus anni comperit habent.*

*Quae cl. vir illa epistula multisque in ea allatis argumentis evincere conatur hac fere continentur sententia: Si lingua latina nostra adhuc aetate vivit —ut nos volumus et probamus— novis verbis est augenda et locupletanda, idque ea ratione qua aliae recentiores linguae faciunt; accipiat ergo novas voces ex hodiernis linguis.*

*Cui sententiae nullum aptius responsum dari posse arbitror quam si lucubratiunculam illam —quam nuper Congressui Lugdunensi de lingua latina proposui— sociis et lectoribus legendam deferam.*

*In ea enim, ut alias fecimus, de hac novandorum verborum spinosa quaestione iterum disceptavimus. Idque sane profiteor sententiam clmi. viri J. Ijsewijn non esse rejiciendam; quam si ratione et cogitatione tantum amplectimur, in universum accipiendam esse arbitror; sed si in re et usu, vel maxime considerandum, inquirendum, disputandum esse censeo prius quam novae voces ex linguis romanis eductae in latinum recipiantur ne ossoribus et linguam latinam male callentibus et tractantibus —ut saepe fit— porta et via aperiatur. Pessima ubique leguntur abjecta et prostrata latinitate; ne igitur his opem feramus et nostra incuria ansam praebeamus. Nam haec est facillima via: ex nostris verba facere latina. Cauto est procedendum. Omnibus ponderatis argumentis, non nulla tandem vocabula in latinitatis thesaurum recipiantur.*

## DOCTORUM SENTENTIAE

Quaestio de fingendis novandisque verbis, quae novas rerum inventiones significanter exprimant in omnibus fere linguis haud paucis gravatur difficultatibus.

Sunt scriptores qui in omnibus verbis et locutionibus et in toto sermonis tenore expolitam perquirant puritatem et elegantiam, novas voces devitent et externas vehementer repugnent; alii vero sermonis puritatem consecantur quin voces ex ipsa lingua deductas aut ab aliis linguis prudenter

petitas civiumque usu tritas improbant cum multitudinis iudicio et usu cedendum sit.

Quae varia agendi doctorum ratio et diversa hominum placita generatim in omnibus linguis inveniuntur. Viri enim litterati et coetus illi qui «Linguarum Academiae» dicuntur multa rejiciunt et improbant verba atque strenue enitentur ne in linguam recipiantur.

Et quanquam civium multitudo — penes quos et jus et norma loquendi — saepius voces illas ab eruditis effectas non probat neque illas quae e priscis linguis eruuntur, attamen haec pugna et certamen contra novas irruentes voces, multum confert ad ipsam sermonis puritatem et integritatem; ita saltem fit ne in verborum monstra delabamur ex sententia praeceptoque sapientium.

#### GRAECOS ET ROMANOS SEQUIMUR

Haec vero dispar opinandi ratio et vetus contentio vel apud Graecos fuit inter eos qui «analogiam», id est absolutam sermonis puritatem consecrabantur, et «anomaliam», id est quandam in verbis adhibendis libertatem; ac vel in ipsis optimis scriptoribus romanis patet; nam si Caesar, gravis linguae latinae et castissimi sermonis auctor, omnem vitat novitatem, Cicero contra in epistulis familiarem adhibet sermonem, et usu doctus ac necessitate constrictus — praesertim cum notiones philosophorum Graecorum in linguam latinam invehit —, multas reperit voces, quas non sine aliqua haesitatione primum adhibet, sed deinde his plene pro latinis utitur (in quibus *qualitas*, *medietas*, *praenotio*, *comprehensio*, *perceptio*, *dialectica*, *perspicuitas*...). Nam ipse Tullius in libro *De finibus*, 3, 25 haec gravissima de novandis verbis scripsit:

«Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus idque cum Graecis tum magis nobis, quibus etiam verba parientia sunt imponendaque nova rebus novis nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans in omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. Itaque et dialectici et physici verbis utuntur illis, quae ipsi Graeciae nota non sint, geometrae vero et musici, grammatici etiam more quodam loquuntur suo. Ipsae rhetorum artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur ac suis. Atque ut omittam has artes elegantes et ingenuas, ne optifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin etiam agrorum cultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est... Quodsi in ea lingua quam plerique ubertorem putant, concessum a Graecia est ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audent attingere? Quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus 1».

1. Cf. etiam *de fin.*, 3, 4, 15 et 17 aliosque locos; et locupletissimum scriptorem R. PONCELET, *Cicéron traducteur de Platon*, Paris, 1957. — Tullius saepius de novis verbis faciendis

Sed et Plautus in novis pariendis vocibus praecipuus est auctor et magister<sup>2</sup>, et Lucretius, Sallustius<sup>3</sup>, Horatius aliique nobilissimi scriptores, et in posterioribus Aulus Gellius et Fronto<sup>4</sup> praestantissimi exstiterunt.

#### QUI LITTERAS ET HUMANITATEM COLUERUNT

Sed qui latinitatem coluerunt cum litterae in multis civitatibus renascebantur eandem secuti sunt viam et disparem sententiam; sunt enim in his qui omnem latinitatis thesaurum, illumque solum, retinere contendunt; alii vero ratione et usu fingunt et accipiunt novas voces.

#### NOSTRAE AETATIS SCRIPTORES

At cum iterum doctiores hanc quaestionem summo studio excitent et in medium proferant —quam nos viam sequi oporteat nostra hac aetate, cum in immensum excrescant novae rerum inventiones novaque desiderentur vocabula latina ad eas res designandas—, opiniones rursus sunt in partes discussae. Quae quidem res si mente et cogitatione tantum esset expendenda, paucis praeceptis definiretur: omnes enim scriptores puritatem linguae in universum se servaturos profitentur, sed rei difficultate coacti novas voces aut novas verborum significationes ex ipsa non fugienda linguae evolutione adducunt.

#### SERMONIS GENERA DISTINGUAMUS

Hanc tamen quam tractamus de novandis vocibus latinis quaestionem valde implicatam esse censemus; in quam animi ingeniique conformatio, scriptores quos quis legerit, natio ex qua quis ortus aliaque maxime conferunt. Et ideo ut omnem devitemus in re confusionem, sermonis genera diligenter et accurate esse distinguenda arbitramur:

1. Sint utique viri eruditi ac litterati qui vigilantī cura puritatem linguae latinae ejusque majestatem tueantur eamque servent. Quam majores adepti

---

dissertit et, quam insequi oporteat viam, ostendit et praecepta dat utilissima; cfr. *Verba vel novitate vel conjunctione facta apud Ciceronem* (P. BRUNO, *Latinitas*, 2 (1954) 274 ssq.), ubi praecipui de re apud Ciceronem loci commemorantur; lege quoque de novandis verbis SPRINGHETTI, *Institutiones stili latini*, Romae, p. 70 ssq.

2. Cfr. J. COUSIN, *Evolution et structure de la langue latine*, Paris, 1944, cap. IV, et praecipue pg. 144 ssq. — In multis, qui seligi possunt, locis hos legas: *operam adjutabilem* (Mil., 1144); *homines spissigradissimos* (Poen., 506); *albicapillus* (Mil., 631); *plagigeruli* (Most., 875); *pergraecamini* (Most., 22); *pedisequa* (Aul., 807); *furcifer* (Most., 1172); *mercimoniis* (Amph., I); *falsimoniis* (Bac., 541); *nictet* (Asin., 789), cet.

3. COUSIN, *Ibidem*, toto cap. V. — Cfr. etiam de his scriptoribus et de verbis ab his usurpatis A. MEILLET, *Esquisse d'une histoire de la langue latine*, Paris, 1948, pp. 165 226.

4. R. MARACHE, *Mots nouveaux et mots archaïques chez Fronton et Aulu-Gelle*, Paris, 1957.

sunt et consecuti gloriam in lingua scienter tractanda, eam persequantur suisque scriptis excolant. Exquisita et perfecta animi institutio, amplius rerum studium et quasi conservationis innatus sensus hos praeclaros viros in eam animi severitatem inclinabunt; quos veneremur oportet et debito afficiamus obsequio.

Neque tamen nimium putide hanc consecernur puritatem et elegantiam, aliter in vitium declinabimus. Veteres enim Romani innumeras et minutissimas nostras res numquam cognoverunt hasque nos vetere tantum thesauro —nimium vago nimiumque verborum inopi— dilucido significantique verbo nullo modo exprimere possumus.

2. Cum his autem viris, excultiore puritate ornatis, alii erunt quoque qui totam syntaxim diligenter servantes totiusque linguae colorem et tenorem, novas voces e novis notionibus aut inventis prognatas minime respuent cum ad commodam sermonis intellegentiam necessariae sint aut admodum utiles.

3. Aliud denique sit oportet dicendi genus technicum et vulgare quod in sermone cotidiano et technico possit adhiberi; eoque utantur qui res technicas tractant aut vulgarem adhibent sermonem. Qui tamen normas praeceptaque superioris dicendi generis sequantur oportet, quod ejus fieri possit; necessario tamen multas adhibere debebunt voces novas vel ex ipsa lingua latina deductas aut e graeca aut e nostris linguis.

Discrimen vero quod proponimus in genere dicendi dijudicando quo scriptor usus est, semper perpendatur oportet; quo vituperare et criminari prohibebimur eos qui aliam insequantur viam, dummodo colorem et grammatice servent latinam.

#### ALIARUM LINGUARUM EXEMPLUM IN NOVIS VOCABULIS

At haec novarum vocum in linguas inductio in omnibus nationibus liquido patet. Si enim manu contractas volvisque volumina Academiae Columbiana<sup>5</sup>, ut exemplum proferam, contentionem curamque statim perspicies qua viri illi doctissimi sermonem patrium purum incorruptumque servare conantur, quasdam improbant voces et locutiones, alias proponunt ad rectam linguae normam educendas, aut usui et populi voluntati obsequi tandem coguntur.

Multa sunt quoque in Hispania et nationibus hispanicis Americae vocabula ex anglico sermone desumpta, eaque praesertim inducuntur quae

---

5 Cfr. e. gr. *Boletín de la Academia Colombiana*, 7 (1957) 292 ssq., ubi de vocibus disputatur: *planeamiento*, *planeación* (quae probantur); *planificar*, *planificación* (quas vitari oportet); *bachiller*, *bachillera* (: «hablador»), *desahucio*, *onzavo* (onceavo), *dozavo* (doceavo); *erario* (público); *hasta tanto*. Scribendum *gripa*, *gripe*, *grippe*? (*Ibid.*, 7, (1957) 427). *Erratización* («destrucción de ratas»); omnino vitandum. *Estímetro*, *estaciómetro*, *microsurco* (*Ibid.*, 8 (1958), 77 ssq.).

ad artes et exercitationes gymnicas spectant<sup>6</sup>; pari ratione in aliis civitatibus sermo anglicus praecipuus in novandis vocabulis nunc habetur.

#### DIVERSA HABENDA EST RATIO IN NOVIS VERBIS LATINIS

At id, quanquam verum est, tamen doctissimi viri asserunt linguam latinam non eadem demittendam esse norma atque hodiernas linguas. Lingua enim latina multis vocibus multisque significationibus, a majoribus acceptis, perpetuo immutata perstare debet et in his tantum rebus quae in artibus, disciplinis recentibusque inventis novantur, prudenter novis augeri et ditari vocibus potest et debet. Quod sane vel priscis temporibus factum est, ut supra diximus, et cum christiana prodiit religio — quae sua doctrina, divinis institutis sacrisque ritibus haud paucas in linguam latinam novas invexit notiones et voces —, et toto medio aevo ex barbaris gentibus multa sunt recepta verba a latinitate non parum aberrantia praesertim in nominibus propriis ac vel in aliis quae quodam tantum sunt colore latino intincta.

#### REM IPSAM PERPENDAMUS

Quod si ex his quae diximus ad rem ipsam considerandam accedimus, quam doctissimus vir J. Ijsewijn sua attigit epistula, non infitior perobscuram et difficilem vel peritissimis viris hanc apparere quaestionem, quam, si solve nequimus, nonnihil saltem illustrare curemus.

1. Argumenta quae sunt a cl. viro Josepho Ijsewijn in medium prolata non sunt aspernanda, sed suo pondere consideranda et pensanda.

2. Qui de hac re nuper scripserunt et quasi praecepta condiderunt (Springhetti, Egger, Bacci, G. Pacitti...) id assequi conati sunt ut lingua latina non tantum sua indole suoque colore pura et integra in scribendo servetur, sed etiam ne nimia novatorum verborum copia aut ex aliis linguis desumptorum foedetur; quibus clarissimis viris consentire debemus.

3. Id tamen esse retinendum, sermonem nostrum latinum paucis novis verbis non adeo commaculari quam si syntaxim, dicendi colorem, textum ipsum orationis totamque ipsius linguae indolem negligamus; hanc praecipue latinitatis naturam summo studio servandam curemus.

4. Voces illae, quae novam et propriam significant notionem novo verbo exprimi debent (in quibus memorari oportet *cafeum*, *chocolatam*, *tabacum*, *gasum-gasium*, *anilinam*, *liram*, *dollare -is*, *aureum florinum*, *pesetam*, *platinum*, *blendam*, *cobaltum*, *zincum*, *volframium*, cetera quam plurima). Hae tamen voces res significant sua natura proprias, singulares et fere Romanis prorsus incognitas. In aliis effingendis dubium erit et inter doctos disceptatio: ut *jungla*,

6. E. LORENZO, *El anglicismo en la España de hoy*, *Arbor*, 32 (1955), 262-274.

*Monsones, banana*: quas memorat doctor Ijsewijn (cfr. *Palaestra Latina*, 29, 1959, 160).

5. Non certe infitior recentiores linguas multas usurpare voces quae ab aliis linguis desumuntur, ut laudatus doctor Ijsewijn (*ibidem*) monuit luculentisque commonstravit exemplis. At haec est quidem ratio facillior et commodior res exprimendi, sed cum saepenumero haec verba cum indole linguae latinae non conveniant, tot exteris verbis latine male conformatis, ipsam commaculabunt linguam. Romani enim licet multa a Graecis aliisque civitatibus accepissent vocabula, tamen plura ex ipsa lingua deducere curarunt, ut multotiens Plautus, Cicero<sup>7</sup> aliique fecerunt. Sequamur igitur Ciceronem qui multas innovavit voces, *et notionem seu rei sensum quoad perfectius potuit ex graeco in latinum convertit*<sup>8</sup>. In quo nos maxime elaborare debemus *ut res novas ex ipsa rei significatione nominemus* ut in aliis saepissime fit linguis. Quam et nos servemus normam, ut e. gr. in voce *film* latine reddenda, ejusque sensum in latinam vocem *pelliculam* transferamus.

6. Neque illam negabo difficultatem in vertenda voce *radar*, quam quidam ut liquido planeque intellegerentur, non dubitarunt in latinum verbum *radar*, *-aris* (*radarium, ii*) transferre. Clarissimus tamen vir C. Egger<sup>9</sup> eam vocem in Congressu Avennico improbavit; contra, in eodem coetu G. Pacitti in latinitatem induci voluit; quamquam deinde ne illud sententiarum discrimen appareret, ab actis congressus novum vocabulum est deletum. Attamen hanc in illis computare licet vocem quae vere technicae dici et haberi debent: ita multi censent, quibuscum et nos, ex ipsa rei nominandae difficultate, facile consentiemus.

J. M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

---

7. Cfr. G. DEVOTO, *Storia della lingua di Roma*, Bologna, 1944, pg. 127 et 144 ssq.; et scriptores supra memoratos.

8. Cfr. *de fin.*, et R. PONCELET, ut supra (sub n. 4).

9. Cfr. *Palaestra Latina*, 39 (1959) 99.

# LUCRETIANA 1959

**LIBER 5, 312** «denique non monumenta virum dilapsa videmus,  
quae crepero poro nihilumque senescere credas».

Postquam ex nutilis vocabulis (312) recte «crepero poro» integram lectionem restitui, nunc etiam «nihilumque» negationem optimam ad verbum «senescere» trahendam esse arbitror; nam ex litteris sensu cassis «sibicumque» facilius id «nihilumque» restitui potest; «nihilumque» significat μηδέ «vel omnino non»

**5, 672** nec nimis incerto... tempore

ita scribi debet «nimis» pro codicum errore «minus»; praeterea ponendum est adjectivum «incerto» eadem ratione atque in versu 5, 676 «non nimis incertis in partibus anni».

**5, 692** «annum sol in quo confudit tempora serpens...»

pro codicum verbo «contudit» simplici mutatione recta ratio exstitit «confudit»; hoc verbum est perfectum loco aoristi gnomici Graeci «confudit» significat idem atque «conjungere solet»; litteras *t* et *f* inter se mutuari notissimum est.

**5, 747** «rodit Hiems; sequitur crepitans hanc dentibus Algu».

post versum 746 «rigorem» interpungendum est; sententia verbi adfert duo objecta «nives» et «rigorem» habentis terminata; codices versus 747 exhibent «redit» quod falso scriptum est pro «rodit»; in fine vs. 747 «Algu» majusculā litterā A pariter atque «Hiems» ut persona scribendum est. «Algu» ut «vulgus» formatur et subjectum est.

**5, 805** tum sibi terra dedit primum mortalia saecla.

terra igitur procreavit homines; consentaneum est terram ut aliam matrem sibi ipsi hos homines tulisse, non Memmio; propterea «sibi» scribatur oportet, non tibi.

**5, 888** «tum demum puerili aevo floreta Juventas efficit...»

vox «Juventas» majuscula littera J reddenda est, quod dea juventutis exprimitur; haec dea efficit (non «officit») «floreta»; codices scripserunt «florenta»; sed «floreto» est forma verbi, quod «flores» significat; «efficit» recte sonat; litterae enim «e» et «o» (E et O) saepissime mutantur; «floreto» legitur in Thesaurō linguae latinae.

**5, 944:** «miseris mortalibus apta»:

ponendum est «apta» pro falso illo «ampla» codicum; nam haec vox «amplo» (944) idem vult ac «multa» (943); at «multa» et «ampla» est tautologia; non autem necessarium erat (944) multitudinem pabulorum vel ciborum exhibere; sed qualitas pabulorum, durities ciborum indicanda erat.

quae vere misera et miseris mortalibus *apta* erat; illud «*apta*» vel per ironiam dictum est (germanice = *gut genug*); error codicum («*ampla*») ita ortus videtur esse: primo recte «*apta*» exaratum, deinde falso «*apla*» (*l* pro *t*) adhibitum, unde «*apla*» in «*ampla*» injuria pervenit.

5, 951 codices repetunt ex fine antecedentis versiculi «*umida saxa*» (950), quod nullo modo 951 iterari debebat; perspicuum certe est «*umida saxa*» non esse miracula neque divina, quapropter nihil erat, cur illa vana «*umida saxa*» bis scriberentur; tales repetitiones earundem vocum in versibus contiguis saepius in carmine Lucretii observantur, id quod documento est textum illius poetæ non paucis locis miserrime descriptum esse; pro falsa scriptione 951 proponere velim: «*livida stagna*»; nam «*livida*» perbene pro «*umido*» propter litterarum similitudinem collocari potest: Vergilius et Seneca «*livida*» (ut colorem aquae) adhibent; et «*stagna*» in Ciceronis versibus invenitur; ad extremum ergo 5. 951 scribatur oportet: «*livida stagna*».

5, 1010: «*vergebant, nunc dant aliis sollertius opso*».

Homines qui prioribus temporibus satis imprudenter veneno ad necandum utebantur, postea «*opso*» (=cibo) id admiscebant, ut homines de medio tollerent; cum in superiore versu «*ipsi*» legeretur, scriba v. 1010 quoque «*ipsi*» per incitiam posuit pro recta forma «*opso*» ex Graeca voce ὄψον capta; «*opso*» male scriptum (= CPSC) ad illud «*ipsi*» scribam inducere potuit.

5, 1179: «*fortunisque ideo longe praestare probabant*»;

in extremo versu (1179) «*probabant*» scripsi pro codicum errore «*putabant*»; nam hoc «*putabant*» falso ex versus 1178 fine repetitum est; saepe enim in Lucretii carmine duo vocabula ejusdem formae in fine duorum versuum sese excipientium iterata demonstrant sine dubio alteram vocem erroneam esse; quamobrem secundum illud «*putabant*» (1179) in «*probabant*» mutandum erat, quae vox («*probare*») decies apud Lucretium legitur; post prius «*putabant*» (1178) ponendum erat verbum multo fortius, quia conjunctione («*ideo quod*») demonstratio quaedam et argumentatio inducitur, ad quam verbum «*probabant*» optime quadrat.

5, 1189 ita emendetur necesse est:

«*per caelum volvi quia Noctiluca videtur,*

1190 *luba Dies et Nox et Noctis signa severa...*

Prius falso legebatur 5, 1189 «*quia nox et luna videtur*»; scriba non jam illud nomen «*Noctiluca*» (= luna) intellexit et ita sponte sua mutavit: ex syllaba NOC fecit NOX; ex syllaba TI fecit ET; ex forma LVCA fecit LVNA; sed «*noctiluca*» (= luda) rectissime hoc loco se habet, ut patet ex his locis: cf. LAEVIUS fr. 26 (Baehrens). VARRO, *Men.* 292. *de ling. lat.* 5, 68. 6, 79. HORATIUS, *carm.* 4, 6, 38. AELIUS, *Ora* 429. MACROBIUS, *Sat.* 3, 8, 3. STOLZ-SCHMALZ *Lateinische Grammatik* (5. Aufl. 1928) pg. 204, 4. G. WISSOWA: *Religion und Kultus der Roemer* (2 Aufl. Muenchen 1912) 316.



5, 1190 autem «luba Dies» denique restituendum est ex falsa voce «luna»; nam litterae utriusque vocabuli (luba et luna) prope eadem cognoscuntur et facile confunduntur; luba (e Graeca voce λουβή) significat «fluenta radiorum diei». Dies est divinitas sicut Nox. Dies est hoc loco priscus genitivus.

5, 1192 nubila, sulci, imbres...

«sulci» sunt ignes meteororum, quae vox optime quadrat ad enumerationem naturarum inferiorum; vocem «sol» autem sidus altissimum inter has res injucundas, ut sunt «nubila, nix, fulmina», collocari erratum est.

5, 1193 ita emendandum est: «pavidi fremitus» pro falso «rapidi fremitus»; minime de celeritate vel rapiditate fremitus hoc loco agitur, sed de effectu fremitus; describitur, quomodo homines fremitibus pavidi ac timidi fiant; «poëtae enim est hoc loco pavores hominum ostendere et exponere, unde hujusmodi existant pavores. «pavidi» (5, 1193) eodem sensu activo usurpatur atque jam 2, 44-45 «religiones pavidae»; «pavidi» (5, 1193) etiam propter «murmura magna minarum» scribendum est, quia illae «minae» jam fremitibus incipiuntur; scriba denique falsa littera R in primo versu posita falso «rapidi» pro vero «pavidt» locavit; cf. OVID. Fasti 1, 16. STATIUS, Thebais 5, 567.

5, 1386... «referta»

lectio et scriptio difficilior «referta» (sc. tibia) pro illo tradito «reperta» in textu ponenda est, quae sic explicatur: tibia per avia nemora, per silvas saltusque, per loca deserta pastorum plene fit efficax: in illis enim partibus naturae tibia ad maximum effectum pervenit; quam ob rem «referta» tibia vocatur (*après avoir développé pleinement sa force et son effet*); quasi forma dependens sensu reflexivo affecta est.

5, 1391 «cum satiate cibi; vatam sunt omnia cordi».

«vatam» scribendum est pro vanis vocibus «nam tum»; «vates» autem est ille, qui canit; cf. CICERO, De Divin. 1, 50, 114 «fauni vatesque canebant»; De Divin. 1, 50, 115 «similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur»; cf. versus ante 1391, ubi 1380 «cantu», 1385 «canentum», 1406 «cantis» legitur.

**LIBER 6** 6, 49 «quae fuerint, sint placato conversa pavore...

codices scripserunt «favore» (FAVORE), quod simpliciter in rectam formam «pavore» corrigi potest; nam «pavor» statum inquietum significat, qui pacandus est; litteram F facile in P(avore) mutari manifestum est.

6, 131 «saepe ita dat pavidum sonitum displosa repente».

pro «parvum» verisimiliter «pavidum» poni debet, quod cum «ita» confundendum est «ita pavidum sonitum»; cum vensicula parva sonitum pavidum facit, res memoratu digna est.

6, 201 «semina convolvunt in nubibus atque ita cogunt...».

intra nubes semina «ignis colliguntur, ergo «in nubibus»; praepositio «in» per haplographiam post syllabam finalem «-unt» (convolvunt) vel ante «nu-» (nubibus) omissa est.

6, 218 «terrore ETQUE sonis fulgit nulloque tumultu».

«etque» pro «et» codicum scripsi ratione formae Graecae καί τε habita, quae apud Homerum in Iliade 9, 159, et 10, 224 occurrit ad metrum supplendum, cf. FRANZ PASSOW: *griechischen Sprache* (Leipzig 1857) sub voce τε (pg. 1838).

6, 223: Praeter ictus et signa vapore inusta fulmina etiam hoc efficiunt, ut «semel» (id est: uno ictu atque tenore nec pedetemptim nec sensim) tecta domorum accendat.

Ita lacuna versus illo «semel» suppleto recte completur.

6, 490 «tam magnis *modulis* tempestas atque tenebrae...»

hoc loco agitur de immensis molibus nubium; codicum lectio «montis» mutilata est ex «modulis»; haec vox idem ac «modus» significat quantitatem vel ambitum.

6, 555 «ut vas *internum* non quī constare...»

«internum» significat hoc loco eam rem, quae vase ipso continetur, et idem respicit, quod «intus» versu 6, 556 in fine indicat; codices exhibent solum partem «inter», syllaba «num» per haplographiam ante «non» excidit.

6, 755 «sed natura loci hic opus efficit ipsa suapte»

ad hiatum evitandum «hic» addidi, quod quasi per haplographiam post «loci» periisse potest; «hic» idem valet atque «hoc loco».

6, 762 «*Puteoli*» temporibus Lucretii multo majoris momenti fuerunt quam alioquin notum est. Cicero Cumis prope Puteolos praedium Cumanum possidebat; Puteolis divitissimi mercatores habitabant, qui ex commercio navium orientalium opulenti facti etiam senatores romanos permovere poterant, ut res politicas aliter dirigerent; de villis Ciceronianis egit O. E. SCHMIDT, *Ciceros Villen* (Neue Jahrbücher von Johannes Ilberg; vol. 3 (1899) 486-489).

6, 983 «... et habere suam fortunam quaeque viasque».

post versum 6, 982 ubi jam vox «natura» adhibita est, verisimillimum est «fortunam» (983) exaratum primo esse, quod librarius non intellegens eiecit, pro quo iterum «naturam» posuit; fortuna vero idem fere ac natura valet; poeta autem vocabula variare solebat.

6, 1127: «hominum in pastus...».

praepositio «in» post vocem «hominum» haplographiā (M = IN) periit; ut 6, 1126 «fruges persidit *in* ipsas», ita (persidit) «*in* pastus... cibatusque» (pestilias).

6, 1156 «atque animi *torpebant* vires totius, omne...»

codices scribunt «animi prorsum...»; ubi «prorsum» nihil valet; propono «torpebant», cujus subjectum «vires» (totius animi) est; «totius» in prima

syllaba metri causa accentum accipere debet; «torpebant» respondet verbo versus sequentis (1157) «languibat».

6, 1249 hoc modo scribatur oportet: «in tectum maerore dabantur». Codices praebent hoc «iniectum»; «tectum» stat pro «domum»; Athenienses (6, 1248) «redibant» (id est: «lacrimis lassi luctuque» incipiebant a sepultura sociorum familiae peste defunctorum domum redire ac postremo ad domum pervenerunt et *in tectum* (= domum) se contulerunt (= «dabantur»); obiectum commune (= ἀπὸ κοινοῦ) ad verba «redibant» et «dabantur» est *tectum* (= domum). 6, 1249 «bonam partem» vulgo dictum significat idem ac «multus» vel «magnus» pertinens ad «maerore»; ita «magno maerore» affecti Athenienses domum redibant.

6, 1259: «aegror» (is in urbem) scribendum est pro «maeror»; nam agricolae non minimam partem pestis ex agris in urbem Athenas portaverunt; codicis scriba magis tristitiam et maerorem ruri degentium respiciebat; sed homines rustici non tam mollibus animis esse solent, ut maereant; etiam ab istis agricolis (a parte Atticae) pestis Athenas invecta est.

6, 1281 «quisque suum *proprium prorepens* maestus humabat».

hic versus lacunosus hoc modo supplendus est, ut equidem reor: «*proprium*» est ille qui ad familiam ipsam pertinet; «*prorepens*» indicat modum laboriosissime itandi; «*proprium*» per haplographiam ante «*prorepens*» omissum est.

6, 1282 «multaque *sors* subita et paupertas horrida suasit».

«*sors*» idem indicat atque «*tyche*», quae inopinata (= subita) Athenienses occupavit; «*multa*» jungendum est cum illo «*horrida*»; ergo non «*paupertas horrida*» tamquam unitas accipi debet; immo «*sors*» et «*paupertas*» uno tempore subito exorta urbem infelicem Athenas invaserunt et multa consilia horrida civibus dederunt.

## Primis libris quae sequuntur notae addantur oportet:

1, 325: nec *poro* quaecumque aevo macieque senescunt...

nullus oculus potest ea, quaecumque *poro*, aevo macieque senescunt... id est: res quae *poro* = duritie, aevo = longo tempore, macie = siccitate senescunt...

etiam «*porus*» igitur est una ex tribus causis, cur res senescant.

3, 105: saepe itaque in promptu *est* corpus, quod cernitur, aegrum...

«*corpus... aegrum*» jam codices recte scripserunt; deinde addatur oportet «*est*» post «*promptu*», quae copula oblivione omissa videtur; sensus est hic: saepe corpus, quod cernitur, in promptu (= «*evidenter*») aegrum est...

AEMILIUS [EMIL] ORTH

# MINOIS AEMULUS<sup>1</sup>

AD PETRUM BRUNO

*amicum jucundissimum peritissimum Latinitatis*

*Quae mihi jam lepidus narrasti, haec, candide, versu  
cum fictis studui mixta referre jocans.*

*Accipe quod Batavus cumulatam laude remisit  
atque tuum nomen carmen habere sinas.*

*Messanae, a. d. X Kal. Jul. a. MCMLVII*

• Postquam, Flacce, tuam musam de more pedestrem  
et quae, Lucreti, nullum peritura per aevum  
conscripsisti olim contingens cuncta lepore  
Oedipodisque malum errorem luctusque tremendos  
perlegi pueris jussique ediscere, lance  
qui pueros docta pensam modo iudicis instar  
electus, subito magnus modo factus et acer  
en adsum tandemque aliquid putor esse. Magister  
ille ego, quem nuper puerum quandoque caterva  
mordebat limisque oculis spectare solebant  
saepe asinina tribus matresque patresque, verentur  
me matres patresque ipsi puerique torosi.  
Rex factus videor, Minois et aemulus, etsi  
ornato nitidis careo diademate gemmis  
et cauda, Dantes qua dirum effinxit in Orco  
dicentem arbitrium. Non me quo poplite, at hercle  
quo naso incedam, qua fronte oculisque comisque  
insignis certant omnes inquirere et optant  
nosse locum degi in quo primae tempora vitae,  
tum qua in urbe operam studiis navare librisque  
fas fuerit, num magnorum bellique domique  
utar amicitia, queis natis conjugum amicis ..  
Quid sim, quid fuerim, queis vitae moribus omnes  
noveritis, quamquam claro non linthea vultum,  
dum turba intentis oculis res inclita spectat,

---

1. Auctori, quod hoc carmen, in Certamine Hoeufftiano magna laude ornatum, hic rursus ut ederetur libenter permisit, maximas gratias agimus et referimus.

ostendere meum perfusum lumine et arte  
nullaque conjugii sum ausus perfringere vincla».

Petrus id aiebat tumidus, frontemque caputque,  
unus ubi atque alter tanta de caede capillus  
perstabat, collumque madentia tergere aperto  
linteolo fessus radiis aestuque parabat.

«Mi quoque (tum meditans obtutu haec dicere fixo  
ille videbatur), quondam ut tibi, fortis agendis  
et causis praeclare Philippe, domuncula distat.

At tu non servis, curru mannisque careres,  
qui risus cupidus Vultejo nomine Menae  
praediolum dederis... Quamquam non ille relictis  
maluit ad vitam cunctis remeare priorem?  
Mi tamen heu nullus Maecenas, ut tibi, Flacce,  
parvum hortum... Maecenatum genus illud in umbras  
omne ruit peragratque Acherusia templa beatum».

«Euge (improvisa quidam tum voce), professor!  
Jam pridem optabam te visere, docte, valentem  
et tecum alloquiis horam producere, tempus  
ut revocare foret fas, quo te aeterna magistro  
vatum opera edidici. Multum ut jam fluxerit aevi,  
ast idem vigor atque eadem facies tibi...» Multa  
hinc, perpauca illinc: redeundi namque videbat  
esse horam dulcesque Lares ipsamque vocare.  
Ille tamen: celeres annos abiisse sibi que  
pergrandem natu curae esse, urgere pericla,  
tum satis atque super puerum studuisse Latinis  
et Graecis; sed multa esse hercules pondera rerum;  
qui patrem totiens servarit, cautibus hirtis  
eripiat natum; se grato pectore sanctum  
doctoris servaturum per tempora vultum.

Discessere. Petrus veteres modo visere alumnos  
mente abiens, modo se defectum crinibus atque  
tendere ad extremum vitae persentit et haesit.  
Ast ubi membra domum defessus venit eique  
cara dapes conjunx apponere rite parabat,  
vidit litterulas allatas nuper ad urbem  
multas hasque manu atque oculis inquirere coepit.  
«Ut me quisque petit, rogat ut me quisque! Diebus  
me nullus, video, his factus jam notior. Eja:  
non mimis tantum, non qui armis atque veneno  
fata paraverunt aliis est gloria; tandem

me quoque tantillum laudis decorisque manebit». Dum dapibus fruitur, pulsatur janua: gilvo tradita charta brevis perturbat corda colore, aegroto ne contigerit quid forte cubanti. At nunc mordaces laeti doctoris abite pectoribus curae! Charta illa namque rogatur ut ferat auxilium labanti navus amici filiolo. «Missis qui numquam reddere opellis ille mihi est ausus grates, mi scilicet audet ultro ferre preces nunc! Quo devenimus! Is sum qui precibus valeam recto de tramite verti, munus et infringam delatum?». Janua rursus succineum per tinnitum pulsatur et uxor excipit et binas jussa amplexatur amicas. Illas desierat quam dudum visere! At aestu dum canis e caelo furit incenditque ruinas atque Colosseï molem Albanosque requirunt egelidos colles cives, sermone loquaci horas quam juvat interdum producere lentas! Quid mirum? In magno puer est discrimine, frater illius, nata est cui desponsata: velit si huic pavido conjunx iterumque iterumque rogatus ferre animum atque labascentem relevare...; puellum esse pium, libris satis incubuisse; mala si forte cadat natus, perituram tempore puncto matrem ipsam; avertat conjunx metuenda malorum et bonus esse velit; nimirum id posse, nihil nam quod non perficiat tam doctus tamque verendus.

Ille audit secumque: «Canes Scyllamque marinam devitem an prius incurram saeva antra Charybdis? Intemerata fides veri, quam saepe loquacis feminae ab ore soles vacuas volitare per auras! Urgeor hinc, teneor, compellor mobilis illinc: quo ferar?... At rex esse volo regnumque pusillum en teneo: quid sim ipsi mox cernetis, aselli!»

Defessus tandem ac multa in contraria tractus et permulta movens, media se nocte grabato tradidit ut placidum caperet per membra soporem. Sed latera huc illuc morbo ut confectus amaro, si bene lethei laticis perfundere totum lumine se posset, vertebat saepius atque contivens vacuo specie per inane volanti

nunc ludebatur, nunc suspectabat in umbra,  
 Flacce, tuos urbem mures reptare petentes  
 et regum imperium et seta pendentis equina  
 ensis fulgorem, redolent dum vina dapesque.  
 Tempus post longum somni per devia tandem  
 ingressus jam pace frui coepitque sopore  
 cum domus in tenebris tinnitu noctis acuto  
 precrepuit vox ut longa e regione vocaret.  
 Expergefacti subito exsiluere grabato  
 Petrus et uxor, uti si magna incendia toti  
 utgerent urbi ac properarent murmura belli,  
 machinulamque adiere timenti corde malorum  
 ne quid vocali cornu ferretur ad aures.  
 Tunc e Sardinia vox, tanto noctis abacto,  
 quaerere mellifluo sonitu num rite valeret  
 ipse atque uxor amans, se scisse ad tanta sodalem  
 evectum esse, rogare illum praeberet amici  
 filiolo cari auxilium tantique petiti  
 immemorem numquam se crederet esse futurum;  
 ne res tanta umquam excideret nomenque tenelli  
 in parvo pueri signaret codice...

Cornu

vix posuit certus verba exaravit in albis  
 pauca scidis: «Petrus nunc regna accepta resigno.  
 Non vigeo pedibus, stomacho bilique laboro;  
 tum ne nocte quidem multis hinc inde petitus  
 optato tandem possum requiescere lecto.  
 Quod prius, id studeo rursus esse et Damoclis ensem  
 a capite averti, contentus vivere parvo.  
 Sint breve per tempus reges alii; ipse beati  
 abicio nomen, prius et quam docta caterva,  
 obvia si mihi forte occurrerit, impia ocellos  
 immemores alio vertat simuletque superba  
 numquam me miserum regem vidisse. valere  
 hanc jubeo et iudex, Minois ut aemulus, esse  
 nil aveo atque aliis tam munera dura relinquo!».

Messanae, a. MCMLVII

JOSEPHUS MORABITO

# Duo eadem via mendici...<sup>1</sup>

- Non equidem sum mendicus!  
—Quidni mendicus es? Tu igitur Turcorum es Imperator, ut patet, cum et argentum et feminas et regnum tibi obnoxium habeas.  
—Haec omnia mea sunt, scisne?  
—Nescio plane; et tu?  
—Haec omnia verissime sunt mea. Rura mea sunt, nam ruri sicut ventus vel sol quoquo versus discurre.  
—Ergo eadem mea sunt; ipse enim in omnes etiam partes rus peragro... Ut juvat horum arborum dominum me habere! Quanti frumentum ideo venum dabimus?  
—Id tantummodo tua interest: frumentum, pecunia... Sacra esto pecunia!  
    Et per amplis quasi poetae, pauperrimi sane poetae oculis raro lumine perfusis rura contemplantur. Tum alter ira fremens:  
—Sacra esto pecunia! Argentum sacrum esto! Hem, te alit animi celeritas; mihi autem, quam primum poteris, subripies crumenam.  
—Me tibi aliquid auferre? Sane probe quicquam haberes quod tibi ipse furari possem!  
—Tibi sunt pauciora.  
—Ego habeo aquam.  
—Quamnam igitur aquam?  
—Fluminis... Et lucem pariter habeo.  
—Lux famem non adimit.  
—Mihi quidem adimit.
- Tibi? Et ideo exilior trabe telegraphica videris.  
—Telegraphum meum quoque est omnesque trabes et fila.  
—Ergo tempore hiemali facile lignaberis?  
—Numquam ipse lignabor, igne enim non indigeo. Omnium trabium et nuntiorum qui transmittuntur me dominum puto, scin'? Et erum esse omnium rerum quae telegrapho deferuntur idem valet atque toto orbe potiri.  
—Ut clare splendet in cute tua!
- \* \* \*
- Amicitiam secum jungere non potuerunt. Eo ipso tempore matutino sibi obviam ferant in trivio prima luce cum triste sol subnubilus elucesceret. Simul eandem attigerunt viam. Qui oculis raro lumine perfusis conspicebat, paulisper, quasi de itinere dubitans, constitit. Tum alter:  
—Quid tibi contingit? Nescis quo petas?  
—Nescio, nescio plane.  
—Nonne aberrasti?  
—Ne id quidem.  
—Non ergo satis intellego.  
—Nihil intellegis cum vere vagus non sis.  
—Profecto, mihi crede, vagus et exul erro... si ita tibi me appellare libet.  
—Idne verum? Et quorsum peragis iter?

1. Palcherrima fabella ab ANNA MARIA GUTIÉRREZ NAVAS exarata et in actis diurnis •YA• Matriti, 23, 2, 1958 in lucem edita.



- Huc atque illuc.
- Ut ego pariter; verumtamen... cur hanc, non aliam, viam suscipis? Quo pacto tam mature rem statuisti?
- Alter risit maxillam inferiorem petulanter movens:
- Quia supra mollem terram jucundius inceditur; est enim melius commode iter facere, nonne?
- Plurimum hoc negotium calles...
- Fortasse...
- Simulque, quasi itineris collegae, eidem viae se commiserunt. Neuter tamen de alterius nomine inquisivit. Quid intererat nominis cum, postquam mutuo vale dixissent, alter obviam alteri de novo iturus non esset neque inter se unquam conspecturi?... Meridie familiarissime inter se colloquebantur et compellabant:
- Quo defigis oculos?
- In has sane arbores. Eucalypti vocantur.
- Quid mea interest?... Sunt quidem arbores, nostin'?
- Ego, quod sciam, eucalyptos dico. Nonne tibi puero unquam parentes vapores eucalypti per nares immiserunt?
- Mihī minime vero.
- Vah! Rem probe teneo: tu nunquam fuisti puer. Major jam natu ortus es; nihil mirum quod tam sapiens videaris...
- Nemo eo modo nascitur.
- Nemo ita vero! Verumtamen... scisne quinam tibi exstiterint parentes?... Nihil, quod sciam, de meis compertum habeo.
- Alter, qui raro lumine perfusus oculos habebat umeros desperanter contraxit.
- Id vero mea non interest... Forsitan nondum sim natus.

Alter rudī asperoque risu placidam pacem vespertinam turbavit. Quamvis ambo mendici, de nulla re tamen uno ore consentire poterant, quippe qui ad strata viarum et famem dissimili itinere concurrissent. Mendici lente ducebant diem: paulatim domunculæ servorum a vitis curandis, ponticuli, signa, indices vicorum retro manebant.

\* \* \*

- Suntne strata viarum quoque tua?
- Sunt vero.
- Quo indicio patet?
- In sole caligas! Nonne vides, mea cum sint strata, ut ea perlustrare arbitrio meo possim non aliter quam homo dives atrium aedium suarum vel comarchus praecipuam viam suae urbis?... Equidem mea esse pro certo habeo.
- Et ego utique per strata deambulo.
- Ea tamen minime nosti esse tua.
- Ne tu quidem nosti.
- Ego ita prorsus, quia potissimum strata amo... Viden'? Me magno opere juvat corpus sternere humi eamque deosculari.
- Ore pulveris pleno plenisque oculis amoris surrexit, dum alter nihil intellegere poterat ne illum quidem mirum oculorum obtutum quo tot res delicatissime amplexabatur.
- Madesne vino?
- Non madeo. Benè nosti.
- Et iter silentio perrexerunt. Uterque mendicus ignave, pedetemptim via incedebat nescius quo pacto ita progresseretur.
- Etiam nunc pulvere os pollutum habes.
- Flocci non facio. Immo vero etiam mihi perplacet.
- Esto!
- Procul res quaedam haud clare prospiciebatur: domus, templum, castellum vel nescio quid aliud.

—Agedum, tu qui omnium rerum es dominus, da mihi quid sit illud.

—Pistrinum!

—Non habet ligna decussata.

—Ne tu quidem habes animi celeritatem, cum tamen sis homo. Illud certe pistrinum.

—Tum igitur ibi non nihil edemus.

—Tantum ad edendum vivis.

—Si non ederem, vivere non possem ne ad edendum quidem...

—Nunc subtilius disseris... Verum enimvero te mendicum efferre nequam debuisti. Pessimum sane munus cui est cottidie edendum.

—Sed mendicum esse, numi munus? Tu caput omnium stultissimum!

Qui cum probrosa dicta cachinno cumulasset:

—Atque tu, inquit, mendicus es, cur ita?

—Propterea quod mihi hoc vivendi genus arridet... Sin aliter, omnia videre atque lustrare non possem et fastidio taedioque conficerer intra parietes tabernae...

—Cujus tabernae?

—Tabernae meae.

—Tu igitur tabernam habes?

—Sane quidem in vico, sed angustam, sordidam, taetram, refertam rebus mihi inutilissimis, plenam hominum quos non amo. Ultro eam reliqui.

Alter itineris collega stupens alterum conspicebat:

—Ergo tu... es dives!

—Ita. Omnia rura sunt mea et flumen et montes et pistrinum...

—Sile, inepte homuncio! Haec te divitem non efficiunt, sed illa videlicet taberna! Taberna, pro Deus,

cum arcula argento nummariisque chartis onusta, ab hominibus frequentata qui et merces emunt et garrunt et invitant ad pocula!...

Tu es amens, insanabile caput! Quid de hoc genere vivendi tibi polliceris?

—Quod et ipse inveni.

—Me tantum invenisti, qui tibi sane nulli sum utilitati.

—Te vero nunquam inveni. In quolibet viae flexu evanesces, quoniam tu aliquo proficisceris, ego autem, quae mea sunt, fruenda dumtaxat peto.

\* \* \*

Luna, frigida inumbrante vespera, argentea splendebat rurisque murmura suaviter percipiebantur. Atra aequae nox in animos incumbere mendicorum qui sine festinatione via progrediebantur. Novum ferumque consilium abjectissimam angebat mentem viatoris qui somniatorem mendicum comitabatur

—Nonne te familiares desiderant?

—Orbus familia dego vitam.

—Saltem amici tui...

—Ne amicos quidem meos mei meminisse credo.

—In taberna igitur quisnam adest?

—In taberna nemo.

—Et... ubinam clavis?

—Clavem hic mecum porto.

Et mendicus vix intueri socium audebat cujus oculi adeo raro lumine perfusi fulgurabant. Verum tam facilis factu res erat! Somniator mendicus gracillimum, ita ut frangi videretur, collum habebat; collum sane longissimum quod in caelum, in arbores, in noctem producebatur... At ipse contra magnis praestabat viribus; alibi januam quarundam aedium protrivit ut

furaretur; alibi manibus suffocavit canem. Proxima nocte collum illud longissimum, longissimum constringere poterat et tum...

—Vide, quaeso, sub nocte rura immensa patent. Mox vero ex via excedam, me in segetem abdam et evanescam in eaque recumbam...

Spicarum trahor amore, nostin'?

—Ita novi prorsus. Plura perditte amas quorum tu tibi dominus videris.

Cum graviter haec dixisset, oblique intultus est ejus longissimum collum. Minime amicus ne collega quidem, nihil aliud erat atque deltrum caput... Tum extulit manus...

—Quid manus extollis? Age, abi mecum in segetem!

Uterque mendicus sub lunam clarius splendentem parumper progressus est; mendicos crurum tenus operiebant spicae in quibus fragile alterius corpus alteri miranda spica videbatur quam in perpetuum confringere tam tam facile ipse poterat. Et cum subito manus iterum extulisset, gracillimum

invasit collum, quod tamen somniater mendicus de alterius manibus summa alacritate eripuit. Mendici inter disceptas spicas quasi insanientes mutuo conspexerunt. Tum vero qui oculos miro lumine perfusus habebat, omnia cum satis intellexeret, ad scelerati mendici pedes ultro projectit clavem quam ille vehementissime expetebat.

—Eheu, te miserum!... Me propter istam clavem interficere cupiebas, propter tabernam veterem, sordidam, scabie aerumnisque confertam, neque mihi quidem invides quod omnino sint mea et rura et nox et luna et spicae...

Unus diei socius loquentem non audiebat; discesserat enim demens et excruciatum studio illius tabernae ingrediendae, in qua vinum, amicos pecuniamque inveniret...

Somniator mendicus ubi fugientem vidit, in spicis suis recubuit, suo rure contentus, sub luna et nocte sua quae fragile collum leviter laceratum mulcebat.

*Latine reddidit:* MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# Nos in schola latine loquimur

## RELATIONES LOCI

MAGISTER. — Quoniam ea quae ratione et usu discuntur altius in mente inhaerent, hodie in pavimento cretā tabulam geographicam Hispaniae lineis descripsi; uti, quandam peregrinationem quasi peragentes, nunquam memoria excidat quo modo *relationes*, quae dicuntur *loci*, adhiberi oporteat.

Auspicemur igitur. Tu, Felix, siste pedibus *in urbe Gadibus*. Dic mihi, ubi es?

FELIX. — Sum *in Hispania*, nobili gente et ingenua, *in qua* natus — maximas Deo gratias— imbutus sum catholica religione et amore. Pedibus sisto *Gadibus*, quae ad ulteriorem Romanorum Hispaniam pertinuit: est portus mari atlantico ablutus. Haud multum distat urbs Hispalis quae Baeti fluvio irrigatur, et si parum inde processeris Italicae et Mundae memorandas ruinas aspicias.


MAGISTER. — Bene nostrum Felicem! intellego te non modo latinum sermonem, sed et, geographicam et historiam patriam optime callere. Bene est. Sed perge aliquatenus: *exi Gadibus*.

FELIX. — Exeo, Magister, *Gadibus*, et vel curru automobili patris mei *terra* pervenio *Calpem*, vel *e mari atlantico*, pervenio *in mediterraneum* transiens *per Fretum Gaditanum*. Sum igitur *Calpe*, hodie «*Gibraltar*».

Hic duae Herculis columnae positae dicebantur: *Calpe* altera, *Abilae* altera *in* adverso Africae promunturio. Hinc mari et viae denuo me committo et transiens Malacam sisto *Carthagine Nova* quam adeo Romani nobilitaverunt.

MAGISTER. — Bene se habet, requiesce ibi parumper. Tu, Albine, iter aggredere Gerundō ut cum Felice convenias.

ALBINUS. — Sisto pedibus *Gerundae*, sum *in urbe Gerunda* cujus gens nomine, virtute, fortitudine obsidionibusque celebratur. Et *Gerunda* exiens *Barcinonem* pervenio, *in qua* urbe parentes, me puero, commorati sunt et pulchra et jucunda mihi de ea principe urbe narraverunt: de monumentis, de aedibus sacris et publicis, de viridariis, de aquis salientibus, quae loca publica ornant, de animalium vivariis in quibus et elephantus et camelus et leones detinebantur. Sed ego, pro dolor! cum illuc recreandi animi causa quadam die devenissem, feбри laboravi, qua *domi* et *in lecto*, quasi religatus permanere coactus sum.



MAGISTER. — Videbis, sis, proxima aestate, nam alumni fere omnes excursionem scientificam illuc peragere optant.

ALBINUS. — Ain' vero?

MAGISTER. — Ea est mens.

ALBINUS. — Interea e portu Barcinonensi, scaphā vectus motoriam mari mediterraneo Tarraconem appello. Est ex vetustis Hispaniae urbibus facile princeps. Habet moenia quae cyclopaea vocantur ab Iberis fortasse exstructa. Ea urbe potitus est a. 218 ante Ch. n. Cn. Scipio cum Hispaniam, bellum cum Poenis et Hannibale ducturus, appulit. Deinde caput Hispaniae citerioris exstitit maximumque incrementum et momentum temporibus dicionis Romanorum habuit, sedes fuit proconsulis, circo, foro, basilicis aliisque monumentis ornata.

MAGISTER. — Tu mihi videris Tarracone natus, adeo illius urbis historiam calles.

ALBINUS. — Minime vero, Dne., sed in periculis Historiae de eo oppido plura sum interrogatus et ideo menti inhaeserunt ac praeterea avunculus ex ea urbe adventens multa mihi rettulit. Tarracone deflectens Dertosam et nobile Saguntinorum oppidum recordor, cujus nomen et fortitudinem summis laudibus T. Livius amplificavit: tandem Valentiam pervenio. Haud procul a Valentia insulae Baleares distant: Majorica, Minorica, Ebusus (Ibiza).

MAGISTER. — Bene se habet: bene et historico nostro. Vos, Felix et Albine, ambo Valentia et Carthagine Nova intendite iter Matritum ubi condiscipulus

Aloisius commoratur et vos praestolatur. Tres estis condiscipuli et collu-  
sores: inter vos consalutate:

ALOISIUS. — Salvete, Felix et Albine.

FELIX ET ALBINUS. — Salve et tu, Aloisi.

ALOISIUS. — Unde venistis?

FELIX. — Longum itineris spatium emensi sumus, ego commoratus *Gadibus, Calpe, Malacae, Carthagine Nova*, iterque feci *terra, equo* insidens eoque saepe concitato, curru automobili, *mari* scapha vectus, denique *pedibus* etiam.

ALBINUS. — Ego fui *Gerundae*, deinde veni *Barcinonem, Tarraconem, Valentiam*.

ALOISIUS. — Nunc ergo tandem *Matri*ti estis, quod est caput totius Hispaniae, vobisque gratias ago maximas quod me domum salutatum convenistis. Sed video caelum admodum tepescens sudumque esse, ac si placet, domo exeamus deambulatum ut quae sunt conspectu dignissima in hac principe urbe et vos intueri eisque delectari possitis. Visere licet *Musea, Tabularia, Monumenta, Palatia, Aedes Ministeriales, Civitatem Universitariam, Academias linguae Hispanicae, Historiae, Artium, Bibliothecam Nationalem, celebrem Portam Solis, Amplam Viam, Regale Praedium «El Pardo» et Recessum in quo Palatium Crystallinum et Domum Piscatoris* videbitis, ac si tempus suppetat *tramine* in *Monasterium Escurialense* nos conferemus. At... ubinam sumus?

ALBINUS. — Nisi fallor in schola latinitatis et sine Magistri venia hinc exire non licet.

MAGISTER. — Audio vos colloquentes, alumni, et summa dexteritate latine confabulantes, cumque vos impigros videam in ediscendis lectionibus, et veniam ultro concedo ut deambulationem peragatis si non *per Matritum*, tamen qua quidem vobis locus et tempus suppetat. Id tamen spero, vos semper in posterum relationum loci memores. Schola postmeridiana vacat. Valet, pueri.

DISCIPULI. — Valeat et magister noster!

## RELATIONES LOCI

### PRAECEPTA

A. UBI. — I. Efferuntur *ablativo* cum praepositione *in*:

a) nomina communia;

b) propria nationum, regionum, magnarum insularum.

Magnae insulae censeantur *Britannia, Sicilia, Sardinia, Creta, Eubaea, cet.*; parvae vero *Chius, Delos, Lemnus, Rhodus, Salamis, Samos, Corcyra*.

N. Excipe ab a): omittitur saepius praepositio ante substantiva *terra, mari, loco, numero* et ante adjectivum *totus* (*omnis, universus, medius*).

### BREVISSIMA EXEMPLA

A. UBI. — *Puer, ubi est?*

— Sum:

I a) *in schola, in monte;*

b) *in Hispania. in Aragonia, in Sicilia;*  
*In Britannia natus;*  
*Chii, Corcyrae natus;*

N. Excipe ab a) *terra marique;*  
*tota Hispania.*

II. Nomina urbium, oppidorum, insularum minorum primae vel secundae declinationis, quae per numerum singularem flectuntur, in genetivo (seu veteri locativo) adhibentur.

N. *Excipe*: in appositione et attractione nominis urbis ad nomen commune praestitit praepositio.

III. Legem quoque II sequuntur *domi, ruri, humi, militiae* (=domi militiaeque), *belli* (=domi bellique).

N. Cum possessivis et «altenuis» aut adjecto genetivo possessoris adhibetur genetivus vel etiam ablativus.

At cum ceteris adjectivis adhibenda est praepositio in cum ablativo.

IV. Nomina urbium, insularum quae per primam et secundam declinationem non flectuntur et pluralia in ablativo casu ponuntur.

V. Verba aut locutiones quietis quae viciniam significant, accusativo cum *ad, apud* (en los alrededores) postulant.

B. UNDE. — I. Verba aut motus locutiones quae locum unde quis exit significant, ablativum et praepositionem *ab, e, de* postulant cum nomina quae sequuntur sunt communia aut nationum, regionum, magnarum insularum propria.

II. Praepositionem respuunt a) nomina propria urbium et magnarum insularum;

b) *domus, rus* nisi genetivus possessoris sequatur;

c) et fere substantiva quae cum ablativo originis extusque junguntur.

N. *Excipe a lege II a)*: praepositionem postulant: 1) propria quae sibi praepositam vel appositam habent vocem (*urbem, oppidum, insulam*);

2) urbium nomina cum verbis *distare, abesse, esse ab, longe, procul a*;

3) cum *a, ab*, urbis propinquitatem (*los alrededores*) notat;

4) cum numeris ordinalibus et verbis similibus quae principium numerandi indicant.

III. Locus unde quis ortum habet fere ablativo cum urbium et generis nominibus; ablativo et praepositione cum nationum, regionum, magnarum insularum vocibus.

C. QUO. — Verba vel locutiones quae motum significant accusativo efferuntur adjecta praepositione *in, ad*, cum nominibus communibus et propriis regionum et magnarum insularum

N. *Excipe*: inventiuntur sine praep. nonnullae insulae majores et regiones fere quae nomen habent graecum.

II. Romae, Tarenti, Matrili.

N. *Excipe*: in urbe Roma; Romare, [in] urbe nobili.

III. Domi, ruri, humi; domi militiaeque.

N. Domi meae, in domo mea, in domo Cicedomi alienae, [ronis]; In domo ampla.

IV. Athenis, Barcinone, Burgis.

V. Pugna ad Cannas, ad Matrid ad silvam; [tura]; ad patrem.

B. UNDE. — *Puer, unde venis?*  
— **Venio**:

I. ex itinere; ab Hispania, ex Sicilia.

II. a) Roma, Barbastro;

b) domo, rure; sed: [e] domo Caesaris; c) reditus Roma, calcet Roma (*procedentes de* [Roma]).

N. *Excipe*: 1) ab urbe Carthagine; Carthagine, ab urbe nobili;

2) distare, abesse a Roma;

3) a Roma (*de las cercanias de* [Roma]);

4) primus lapis a Roma (*la primera piedra miliar a partir de* [Roma]).

III. Antonius Barbastro (=Barbastrensis); oriundus ab urbe Barbastro; Juntus ex Hispania.

C. QUO. — *Puer, quo proficisceris?*  
— **Proficiscor**: [ris?]

I. in scholam; ad patrem; in Hispaniam; in Britanniam.

N. Pergo (—) Aegyptum, Peloponnesum.

II. Praeterea etiam praepositio urbium nominibus cum *vicinitatem* notamus aut *directionem*.

III. Efferuntur accusativo sine praepositione:

- a) nomina insularum minorum et urbium;
- b) *domus et rus*;
- c) si possessiva vel genetivus possessoris accusativo *domum* adjungitur, saepius deest praepositio; aliquando prostat;

d) cum adjectivis *non possessivis* aut cum vox *domus* respondet *familiae*, adhibenda est praepositio:

e) usurpatur (vel omittitur) praepositio in appositione et attractione cum nominibus urbium et insularum minorum.

D. **QUA.** — Si via vel directio per quam motus fit vel transitus significatur, praepositio *per cum accusativo* adhibetur, praesertim si transitus aperte notatur.

N. *Excipe*: sunt locutiones quae fere ablativo usurpantur: *terra, mari, via, ponte, porta...*, et adjectivum *totus*.

II. Ad Romam, ad Barbastrum; tres viae ad Mutinam.

III. Pergo:

- a) Romam;
- b) domum, rus;
- c) domum meam;  
in domum meam;  
domum Ciceronis,  
in domum Ciceronis;
- d) in domum amplam;

e) in urbem Romam;  
Romam, [in] nobilissimam urbem.

D. **QUA.** — *Puer, qua iter fecisti?*

— *Iter feci:*

Per Galliam, per montes,  
per Babylona.

N. *Via Aurelia*; terra Romam; mari navigatio; tota urbe.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## «DILECTIS DEI»

Rom. 1, 7

O quisnam Pueri genas amabit;  
Amplecti poterit tenella membra,  
Matris quae gremio benigna ludunt,  
Orbem dum refovent manu potenti?  
Jesu, laetifica superne corda  
quae cernis veteri labore fessa!  
Dele tu lacrimas; dies coruscet  
Plenus deliciis; bona, beata  
Pace nos cumula, Deus Puella!

J. FABREGAS

Barcinone, a. d. XIII Kal. Jan. MDCCCCLX.



# VOX HUMANA (II)

Carmina VII, quae infra edimus, scripta sunt a Joanne Alexandro Gaertner, insigni nostri temporis poëta latino. Anno 1954 Lunenburgi (Vermont-Civ. Americ. Confoed.), apud «Stinehour» typographum, libellum carminum latinorum egregium, «Vox Humana» inscriptum, foras dedit. Qui libellus, nunc fere divenditus, XXVIII poëmatia continet, quae inter optima hoc saeculo latine vulgata numerare ausimus. Hac de re, ne nostro tantum iudicio niti videamur, censuram laudesque legas Revili P. Oliver in commentariis «Classical Journal. 51 (1955-56), pp. 132-34». Aliud etiam poëmatium «de puella Americana» seorsum typis impressum est in eodem ephemeridis volumine, p. 55.

J. A. Gaertner (°1912) aliquot jam annos litteras latinas necnon bonas artes docet in Collegio Lafayette urbis Eastonensis (Pensilvania; C. A. C.). Praeter carmina, nonnulla divulgavit scripta, quorum unum «De lingua latina, lingua gentium (Class. Journ., 50 (1954), pp. 331-33)», alterum «De usu linguae latinae (Id. 47 (1952), nr. 6)» memoramus.

J. IJSEWIJN - JACOBS

## 1. VER PRIMUM

<i>Animae tuae consimiles turbidi ruunt et crescunt turgidi rivi et aquae. Pallidas nubes</i>	<i>sub frigido caelo rudes propulsant et asperi venti. Flosculi primi sub reliqua nive</i>
<i>timide rident tibi vadenti. Sed etsi laetari videris, triste apparet initium veris.</i>	

## 2. MALA NOX

<i>Voces nocturnae summis susurrant, sibilat ventus et umbrae sollicitae super lectum sellamque subsultant.</i>	<i>O dubia nox, plena anxietatum, quando praebebis somnum quietum? Veni, inscia pax, futilitatum</i>
<i>brevis oblivio. Pelle terrores quorum victima videor, praeda insidiosae conjuratōnis sortis, aevi, deorum.</i>	

## 3. VISIO NOCTURNA

*Stella quae citius cecidit,  
splendor qui brevius restitit  
mortis in vertigine,  
longe oblivioni data,  
virgo, revenisti nata  
noctis e caligine?*

*Fugax olim et beatus,  
amor noster condemnatus  
erat ab origine  
quae me reliquisti moritura,  
tarde venis, numquam peritura  
ista in imagine.*

## 4. FEMINA

*Matutina puella  
lepida, bella  
virgo sicut Diana  
rudis es, ridens et sana.  
Tanti ardoris mei  
Venus superba,*

*Mulier meridiei  
sponsa videtis dulcis-acerba.  
Tarde jam taciturna  
casta meretrix,  
Juno genetrix,  
mater fis magna, uxor nocturna.*

## 5. CARMEN VERNUM

*Exsurge, anima mea, exsulta!  
Tellus ornata divina laetitia  
mox te privabit tua tristitia,  
jubilans dea jubilantem auscultat.  
Fortasse poëtae transfixo hac hora  
Florentiae iterum virgo subridet –  
fortasse pictor nova in ora  
incandescencia mira denuo videt.  
Ver, dulce ver, denique mihi venisti!  
Cor meum, gaude! Quid magis vis?  
Lauda, exalta, dic tot portenta!  
Terra respondet voce contenta.*

## 6. AMBULATIO AUTUMNALIS

*O terra amoena amata!  
Mane mecum visio beata...  
At nihil manet. Celerius  
fugiunt dies et impervius  
jam venit hiems. Aestas erat  
tam brevis. Quid referat  
anima mea? Horam amissam  
numquam recapiet. Fissam  
video vitam et dubia exstant  
quae me juvabant...  
Redire debemus ne algeamus,  
libenter redire. Est nobis domus.  
Introeamus.*

## 7. FATUM

*Inxorabilis  
deus te tenet,  
te ducit, te docet,  
te delet.*

*Quo ruis? Morare.  
Quid petis? Exspecta.  
Et noli clamare,  
vocaberis.*

JOANNES A. GAERTNER

# PER ORBEM

## Alter Conventus Internationalis Latinae linguae usui instaurando Lugduni coactus

Diebus 8 ad 10 mensis septembris latinitatis vigentis studiosi Lugdunum convenerunt ut denuo sermonem latinum virentem florentemque profiterentur ejusque usum magis in dies promoverent et propagarent.

Alterius hujus conventus auctores fautoresque iidem clarissimi viri fuerunt ac primi: Joannes CAPELLE, et Eduardus AUBANEL, qui ita paraverunt ut recte procederent omnia. Conventus sedes aedificia fuerunt Institutum Nationalis Scientiis applicatis fovendis (*Institut National des Sciences appliquées* I. N. S. A.), quod Institutum technicum Galliae praecipuum est et inter primos totius Europae. Jam vel ipse locus de rebus ibi agendis loquebatur: scientias litterasque humanas iterum consociandas esse. Ut quam primum scientiae humanitate imbuantur, humanitas scientiis compleatur. Litterae humanae, latinae praesertim vinculum sint eveniantque commune inter omnes totius orbis viros qui scientias quascumque colunt humanas sive quae animum tangunt sive quae rerum naturae investigandae vacant.

Qui olim Avinionem convenerunt de grammatica simpliciore reddenda, de uno enuntiandi litteras modo instaurando, de novis aptandis cudendisve verbis, de novis linguae latinae alumnis tradendae viis ac rationibus egerunt. Modo iidem Lugduni coacti linguam latinam neque demortuam neque quasi cultorum hominum lautitias esse demonstrare contenderunt, immo vinculum evenire posse et instrumentum quo omnium gentium magistri, scientifici, alumni inter se vincirentur mentisque cogitata inventaque communicarent.

Haec plus minus dixit cl. v. Joannes Capelle in acroasi augurali, cui adfuerunt urbis Lugdunensis moderatores una cum Emmo. Cardinali Petro Gerlier, Lugdunensi Archiepiscopo.

Conventum adierant plus quam 200 ex omnibus gentibus viri et feminae, quorum plurimi in Universitatibus doctores. Venerant ex Germania, Argentina, Austria, Belgio, Bolivia, Brasilia, Dania, America Septentrionali, Gallia, Anglia, Batavia, Hungaria, Italia, Lucemburgo (*Luxembourg*), Lusitania, Helvetia, Venetiola. Ex Hispania adierunt Josephus Jiménez Delgado, C. M. F., Josephus Mir, C. M. F., Jacobus Fábregas Baqué, in Seminario Barcinonensi doctor, Josephus Guillén, in Universitate Salmanticensi Pontificia doctor, Felix Sánchez Vallejo, S. J., commentariorum quibus est index *Humanidades* in Universitate Commillensi moderator, et qui haec scribit.

*Die 8 m. septembri.*

Primo coetui praefuit cl. Petrus BOYANCÉ, Sorbonensis doctor, in eoque

cl. v. A. Haury «qua ratione epitome quaedam grammaticae ad usum omnium componenda videretur» brevissime proposuit; cujus haec sunt verba:

«Primum epitome haec brevissima esse debet. Itaque praecipue syntaxi videtur operanda.

Deinde quoniam, ut saepius dicam, ad omnes gentes accommodanda est, quae nostratum sermonum propria sunt, quatenus fieri poterit, neglegemus et exempla communia sumemus, quae quanto tritiora, tanto utiliora erunt.

Denique cum res non solum ad nostros

discipulos pertineat, sed etiam ad eos qui scientias rerum et artes aut discunt aut docent aut usurpant, et recte loquendi normas edicti oportet, et unicuique praecipui qua ratione ea quae sentit reddere possit simplicissime. In pauca igitur capita immensam materiam cogemus ut, qui tempus vel locum vel causam enuntiare velit, is unum de multis rei expromendae modis eligat qui suis viribus aptus sit».

Viri in tantum opus ultimo concilio designati sunt ex variis gentibus: Dr. BORNEMANN, Germanus, G. PACITTI, Italus, H. H. HUXLEY, Anglus, J. M. GUILLÉN, Hispanus.

Deinde Joannes WINKLER, Austriacus, quid de hoc altero Conventu sperare liceret quaesivit. Quaedam proposuit de iis quae Avennione acta sunt, quorum fructus jam maturos vellet... praesertim quod ad vocabularium spectat. De qua re —aperte dicam— nemo publice nos edocuit, cum res maximi esset momenti. At accepimus P. SPRINGHETTI, S. J., jam plura verba collegisse et in ordinem digessisse scientiarum psychologiarum propria. Cl. Dr. Joannes VOLCKRINGER «*Lexicum latinum gallicum ad Pharmacopoeas redigendas*» paravit omnibusque exhibuit. Verae utilitatis existimamus librum, quamquam non omnia quae scripsit verba omnibus aequae fortasse probabuntur.

Spectata femina ISNENGI, Austriaca, quae sane cum marito et filia saepissime latine colloquitur familiariter, merito dixit non omnes alumnos iisdem mediis esse edocendos, sed alios aliter

«Estne timendum, ne libros scriptorum antiquorum neglegentes et novas quasdam fabulas hujus aetatis in linguam latinam versas legentes fundamenta nostrae humanitatis funditus evertamus atque obruamus? —Quod attinet ad hanc quaestionem, periculum humanitatis methodo quadam nova diruendae apud nationes, quarum linguae ex lingua latina ortae sunt, minus impendere arbitror. Apud nos autem, qui lingua germanica loquimur, libri scriptorum antiquorum, iidemque latine scripti, unicus aditus ad antiquitatem sunt. Periculum igitur est, ne illo aditu obruto vis antiquitatis evanescat et alia quaedam ratio vivendi, quam humanitatem appellare

non jam licebit, oriatur. Cui usui sit antiquitas in erudiendis juvenibus, verba chimici et philosophi illius germanici Planck mihi testimonio sint, quibus declarat juvenes linguis antiquis instructos ad quaslibet quaestiones dissolvendas aptiores esse ceteris. —Quas res meditata in argumento meo haec concludo: Mihi quoque nihil magis cordi est quam linguam latinam etiam nostra aetate instrumentum commercii inter homines sive scientiarum sive litterarum peritos fieri. Ad quem finem aliis aliam viam ingrediendam esse arbitror. Nobis, qui lingua germanica loquimur, nitendum est, ne studium cognoscendae antiquitatis evanescat. Cui studio augendo

omnes quoque inventiones nostrae aetatis, auditiones radiophonicas, ut exemplum adferam, succurrere necesse est. In scholis discipuli in vertendis sententiis in linguam latinam exercentur.

In his spect. feminae verbis fuit qui interrogaret utrum sermo latinus quaereretur ut humani cultus instrumentum aptissimum an ut universalis commercii vehiculum. Si primum prosequeremur humanitatemque ipsam ex se exquireremus, neque curandum esset de verbis novandis neque de latinitatis thesauro augendo, at periret ratio qua Lugdunum conveneramus; si alterum, non modo liceret sed plane oporteret hodierna uti latinitate. Petrus BOYANCÉ, optime respondit quaerenti linguam latinam —quamvis ad usum cotidianum scientificorum virorum spectaret. ut tunc quaerebamus— ab humanitate sejungi non licere.

In coetu postmeridiano, cui spect. femina H. MALCOVATI praefuit, Dr. E. BORNEMANN exposuit quomodo et quatenus imprimis pueri adolescentesque adduci possent ad linguam latinam colendam et in commercio adhibendam. Scholam vivacem reddi interrogationibus responsisque volebat, clara voce legendo inter alumnos epistularum commercium fovendo canticis latinis, declamatione. Qui quidem olim in latinum convertit fabulas quasdam germanicas latine etiam concinendas, quae ab eo PETRUS HIRUTUS sunt appellatae. Omnium harum rerum exemplum semetipsum praebuit BORNEMANN quaedam declamando quibus commonstravit quod asseruerat: «Unum carmen latinum vivaciter et tamquam scaenice declamatum nonnumquam —credite mihi— plus valet quam interpretatio et explicatio doctissima». Vigentis quoque exhibuit latinitatis utilitatem: Carolus Schmid, inquit, paucis ante annis Moscoviae cum Malencove, uno ex principibus Russorum, latine feliciter collocutus est.

Qui post Drem. BORNEMANN locuti sunt idem argumentum eolverunt de pueris latine institutendis. P. Basilius HYPEAU, O. S. B., amicus desideratissimus, ita mentem suam contraxit:

«Multa in Gallia saltem, desunt instrumenta quae utilissima forent ad pueros in lingua latina melius instituendos; quaedam hic enumeranda videntur:

1. — Nimis pauci sunt libri latini quos pueri facile et cum voluptate legere possint antequam apti sint (et ut apti fiant) ad ipsos scriptores latinos intellegendos. Valde optandum est ut multi magistri tales libros, faciles simul et jucundos (immo jocosos) conscribere et in vulgus edere curent.

2. — Pueri debent etiam assuefieri ad linguam latinam auditu percipiendam et intelligendam. Cui rei magno adjumento esse pos-

sunt textus latini discis (vel taenitis magnetophonicis) impressi. At tales disci vel taeniae in Gallia omnino desunt. Si quis igitur hanc rem suscipere voluerit, utilissime faciet.

3. — Exerceantur pueri ad latine scribendum. Inducantur ut scriptis latinis epistulis amicitiam jungant cum aliarum nationum pueris. Quod facilius et efficacius fiet si quando in vulgus edatur liber hac de re consilia exhibens ac veluti «Enchiridion latinis epistulis conscribendis».

4. — Optandum est etiam ut in Gallia (et alibi, addam ego) edatur aliquis colloquorum latinorum liber, qui nunc temporis apud nos omnino deest.

Idem P. Basilius alias dixit: «Sermone latino discendo altur in discipulorum mentibus loqui licet) quo crescente ad alias quoque linguas facilius discendas apti fiunt» habitus linguarum seu «linguisticus» (si ita

Copiosissima verba fecit idque latinitate elegantissima atque locupletissima P. A. FREIRE, Lusitanus, qui novum prorsus et inauditum jam diu perditae exemplar eloquentiae praebuit.

Notatu dignissima videntur quae cl. v. Joannes OERBERG, Hafniensis (*Copenhagen*) doctor, de lingua latina per se ipsam explicata pronuntiavit. Libri quibus latina lingua traditur, ita componuntur atque ordinantur ut omnia vocabula deinceps per se, etiam ab iis qui ejus linguae imperiti omnino sint, intellegi possint. Quae cum ita sint, nihil est quod ullum vocabulum in linguam alumni vernaculam convertatur. Ad quam rationem cl. Doctor XV fasciculos paravit, quibus plurimi Danici discipuli miros emensi sunt progressus in latinitate colenda. Quod si Danicis fieri potuit — quibus ardua est lingua latina et prorsus ab eorum lingua aliena— quanto magis nobis romanis linguis utentibus!

Si male verba Alani BOURGEOIS non percepi, qui post Drem. OERBERG locutus est, ipse propugnabat latinam linguam docere et discere non ad sermonem cum aliis conserendum, non ad scribendum, sed ad cursim scriptorum maximorum opera legenda et degustanda. Optima sane res; quam tamen ut adipisceremur Lugdunum non conveneramus.

Cl. v. R. FOHALLE, Leodiensis (*Liège*) doctor nobilissimus proverbialia quaedam inspexit quibus demonstravit quo modo ad linguam latinam instaurandam ex populari loquela multa eaque utilissima nos excerpere possemus.

Hoc die post meridiem autorheda vecti praecipua Lugdunensis regionis monumenta invisere potuimus: ecclesiam cathedralem, longum aquae ductum romanum, vetera duo theatra romana.

DIE 9. M. SEPT. — Maximi momenti, summamque conventus et caput hunc diem appelles cum res ibi actas rite perpenderit, in qua praeses sedit Dr. FOHALLE, verba fecit Dr. Joannes CAPELLE. Qui quidem cum Dr. ABBAYES, in Facultate Scientiarum Redonica (*Rennes*) magister, qui prius accitus erat, officiis impeditus convenire nequisset, neque Dr. MOTKA, in Universitate MARIE-CURIE Lublinski (in Polonia) doctor, qui et scientificus vir est et quosdam libros scientificos scripsit latine, venisset, acroasim habuit gravissimam et auctoritatis plenam. Neminem tamen paenituit Drem. CAPELLE de hac re loquentem audivisse. Qui quidem qua sua est dicendi copia ac ponderosa comitate linguam latinam censuit complementum omnino illi sapienti viro necessarium qui animum aequè libratum habere voluerit. Illius studium omittere quod demortua sit atque indigna cui ne minusculum quidem tempus male terendum tribuatur, idem est atque tempus somno dicendum absumere quo sapiens rebus investigandis plenius vacare possit. Sapien-

ti enim opus est ex 24 horis diei, somno et victui necessariis partem tribuere, partem rebus quae animum laxant, expoliunt, librant, dedicare.

Praeterea lingua latina esse potest sapientium inter se vinculum artissimum simul et excultissimum. Quod sane vinculum in dies magis necessarium illi videbitur consideranti ex centenis libris scientificis qui eduntur, 44 % anglice, 14 % germanice, 13 % gallice, 8 % russice, 5 % hispanice, 4 % italice conscribi. Quibus mox addendi erunt qui arabico, qui sinensi, qui indico sermone scribentur. Quid ergo? Sapiens aut omnes linguas discat in iisdemque discendis totam fere aetatem sumat, aut exteros libros in vernaculam linguam conversos legat. Primum longius est et nimis arduum, ne dicam impossibile. Alterum, quamquam difficultatem solvere videtur, cum longum est et difficile, et sumptuosum, et incertum, et erroribus obnoxium, tum facile documenta summi momenti praeterire solet. Praeterea brevi temporis spatio partem hominum dimidiam totis viribus contendentem videbimus ut alterius dimidiae partis ingenii fetus in proprias convertat linguas...

Quaenam ergo aptior solutio? Nonne linguam universalem atque communem adhibere, quae sine dubio lingua potest esse latina? Judaei miro studio contentioneque mira, linguam hebraicam, vere demortuam, e cineribus jam diu frigidis suscitaverunt, quam ita tractant, complent, accommodant ut omnia etiam hujus aetatis cogitata inventaque exprimere possint. Quam facilius latinae ambitum amplificare, quae tot saeculis doctorum lingua fuit et usu venire numquam desiit! Quod si verba latina desint, quaerantur nova, aptentur vetera. Salva syntaxi verborumque latino colore, lingua nullo modo laeditur. — Ne sit scientificorum sermo ita politus et ornatus... Modo sermo latinus sit, ipsis haec libertas concedatur. Mentem aperire, non litteras colere student. Neque vero Cicero opera summa mirandaque complexset nisi vulgus obscurum sermonem latinum intellexisset eoque cotidiano usu locutum esset.

Ex quibus omnibus J. CAPELLE omnes scientificos est hortatus ut vel ipsi per se vel per alios commentationes librosque fusius vulgari sermone scriptos latine contraherent digerentque idque a Consociatione UNESCO expostulari voluit ut statis temporibus ederet commentarios quibus totius orbis scripta scientifica summatim breviterque recenserentur.

Spatio artiore constringor quo minus quae cl. v. G. TOURNIER lepidissime de humano cultu, cl. v. Vandick da NOBREGA, Brasiliensis, hoc die protulerunt. MIRIUS noster coetum sua oratione conclusit qua mire exposuit quo modo epistularum commercium optimum esset instrumentum ad sermonem latinum locupletandum, aptandum, flectendum. At lectores PALAESTRAE nostrae hujus rei utilitatem experti norunt. Expertusque MIRIUS noster loquebatur qui per 25 annos his de rebus laboraverat.

Guerinus PACITTI de hebraeis hebraeum sermonem excitantibus verba quaedam fecit opportunissima.

Eo die mira viri cujusdam constantia animique tenacitas splenduit, qui quidem quinquaginta annos natus latinam linguam post primum Conventum Avennicum discere est aggressus, quique modo in extrema acroasi omnes nos delectavit longum Senecae «de ira» tractatum memoriter declamando. Quantum homo potest qui vere vir sit! Hic appellatur MAX. ADAM estque natione helvetius.

DIE 10 m. Sept. — Postremus Conventus dies fuit vere plenus laboris frugumque plenus, cujus coetui matutino Josephus EBERLE, nobilis poëta latinus et humanismus vir, praefuit. Contionem habuit R. P. Josephus JIMENEZ, C. M. F., oratione elegantī, elocutione distincta, meridiana claritate. De qua oratione nihil dicam cum omnia fere quae dixit et in hoc legisti fasciculo et in proximo leges.

Post quem Camilli TAMBORLINI nomine locutus est H. TOMAZZONI novam rationem exhibens qua usi quidam Itali magistri praeclari pueros latinam linguam docent.

Deinde Ricchardus AVALLONE, qua sua est in dicendo vehementia, postquam latinam linguam per saecula vigentem commonstravit, palam se ex parte dissentire ab Avennicis votis est professus, dissentire a votis de syntaxi, quae omnes omnium temporum scriptores complecti debet, et a vocabulario, quod ex toto latinitatis thesauro eruatur oportet («nam et christiani romani, non barbari fuerunt et Christus Romanus fuit» (!)...), et de ratione docendi, et de pronuntiatione, quae ut italica esse totis lateribus contendit, cet. A quo, mi lector, eodem quam postulavit dicendi libertate et tibi dissentire licebit vel cum eo consentire... Orationem finivit aureis quidem verbis, quibus omnes sane consentient: «*Per magistros lingua latina vivet, per magistros latinitas non morietur*».

Studiosè de pronuntiandis litteris exagitata est quaestio, cui quaestioni sine dubio nimis arbitror concessum esse temporis, cum res tanti non sit momenti neque sit cur a voto Avennico recedamus; e contra usu eam confirmare debemus ut vi et auctoritate polleat.

Agitatum etiam est de latinitatis genere utendo. Sunt qui postulent sermonem latinum perfectum et rigidum, sunt qui benigniorem praeferant quin horridulum probent. In sermone tamen tecnico id omnes puto tenere debere: ut color servetur latinus quod ad syntaxim spectat. Verba autem technica illa omnia et sola adhibeantur quae necessaria, quae lucidiora, quae nitidiora legentibus sint, et breviora (rejiciendae enim verborum circuitiones in libro scientifico).

Id vero — multorum nomine — HOLZER vehementer postulavit: «Auctor sum et suasor ut omnes qui proximum conventum sint adituri, latini loquantur et scribant. Ubi enim voluntas ibi via». Quae Dr. R. SCHILLING, Argentoratensis doctor probavit, id tamen petivit ut res per gradus fieret, ne vel strenui et boni viri sed nondum periti rem despertarent difficillimam; quo



totam everteremus rem nostram. «Festina ergo lente», at verbum *festina* tota intensione acuendum cura.

Vespere Dr. BEACH. — qui et Bonamicus Actensis— in coetu praeses simul et orator— eleganti oratione de mediis usui latinae linguae instaurandae aptioribus, suadet ut quam maxime magistri in scholis cum alumnis et extra scholam inter se latine loquantur et latine communicent, quin ciceronianorum religione deterreantur. Neque enim Cicero fuit ciceronianus, qui non idem scribit ac loquitur. Filium cum reprehenderet, non dixisset: «Quo usque tandem, Marce Tulli, Marci fili, Marci nepos, abutere patientia nostra? Quam diu petulantia tua nos eludet? Quem ad finem sese effrenata jactabit procacitas?». Nonne puer secum dixisset: «Di meliora! Tata cerritus est»... Sine dubio digitum vibrans dixisset: «Tu, nequissime rerum, nisi mihi dicto audiens eris, recte vapulabis»... «Etiam si nemo illo dignior est quem sequamur, si eum ad unguem imitari conamur, neque similes Ciceronis erimus, neque nostri ipsorum sumus. Animum vero ejus exquirere et sequi oportet».

Etiam juvenes in Conventu locuti sunt ore Georgii LAFOREST, Consociationis Guillelmi Budé juvenum ab Actis generalis, qui quidem modos illos quaeritavit quibus juvenes inter se uno sermone eoque latino conjungerentur. Cujus vota nobis omnino placent et utinam in felicem exitum deducantur.

POST CONVENTUM. — Die tandem 11, Conventus laboribus confectis, omnes Viennam, Sanctam Martyrum Civitatem, Urbem Senatoriam perlustrare potuimus et admirari museum, templum Augustae et Liviae sacrum, viam romanam, theatrum romanum maximum, cum vomitoriis subterraneis cuniculorum more confectis, Ecclesiam Cathedralem magnificam, cet. In municipii domo Urbis Praefectus omnes nos benigne excepit vinoque regionis jucundissimo recreavit.

In fraterno convivio omnes Conventus participes artius conjuncti sumus, ubi omnes fere latine locuti sumus, ubi et latine «Gaudeamus igitur» concinimus, ubi cl. femina austriaca WIMMERER his versibus ex tempore fere scriptis nos delectavit quos infra legas. Quod quidem carmen ut lepidum jocum et ex tempore dictum et nos laudamus:

Vox exit in publicum  
«Conveniamus Lugdunum,  
ut rationes satis bonae  
confirmentur Avionnae!

Totus orbis penititur  
laeti proficiscimur  
via terrea contententes  
usque ad amnes confluentes

Hic amici jam adsunt  
hospites accipiunt  
sed qui vespert advenit  
hos amicos non invenit.

Documentis praediti  
somno dulci dediti  
expectamus novas res  
bonas, pulchras, utiles.

Prandium tum praebitum  
firmat vires omnium  
ad quaestiones nunc tractan-  
et latine exarandas. ]das

Contristato animo  
queror atque doleo  
multos, heu, in oratione  
usos gallico sermone.

Docte vir, Latine dic,  
quae sint referenda hic,  
et, cui omnes studeamus,  
linguam vivam audeamus.

Saltem expressionibus  
foede deficientibus  
argumentulo refer  
ad sodalem Sraudacher!!

Collaudandus omnibus  
ergo ordo clericus  
quia plenus est viro-  
rum longe facundissimorum.

Unus saepe verbum poscit  
vtr quem nemo non cognos-  
loquiturque optime [cit.  
atque rapidissime

Cum ardore fervidus  
pugnat cum confratribus  
et Capelle ait gavisus:  
«sermo vivus hic est visus».

Quaestio longe maxima  
atque difficillima  
saepe et offenso  
haec est pronuntiatio!

Vires cum deficiunt,  
cena reficiendae sunt  
currit lanx in tabula  
plena ut in fabula.

Currus tum conscendimus  
urbem versus tendimus  
ubi sunt pulcherrima  
vetera vestigia.

Aquaeductus cuius unda  
duo metra in secunda  
fluens fuit incolis  
potuit urbis veteris.

Theatrum nunc cum ode-  
[one  
explicandum est sermone;  
ultimi cum visitant  
currus jam abierant.

Iter longum factas,  
hospes, nunc per tenebras  
cena sit solacio  
atque refrigerio.

Nunc est dies ultimus,  
in quod aegre ferimus!  
Delectati voluptate  
multa et humanitate.

Magnas grates agimus  
nunc ex corde omnibus  
quorum maximo labore  
tanto vivimus in flore.

Juncti amicitia  
nitemur in patria  
ut per nostram disciplinam  
vitam juvemus latinam.

Ut finem longiori meae narrationi imponam haec in conclusionem dicam: Ex hoc Conventu Lugdunensi linguam latinam non modo non esse demortuam, sed optimum esse commercii universalis instrumentum. Ubique Conventus participes variarum gentium sermone latino colloquentes audires. Qui vero loquendo impares sibi videbantur id plane perspexerunt: exercitatione et usu et facile esse et jucundum latine loqui et scribere.

Conventus tandem emissa Vota lege, quae magni sunt momenti et vis ad linguam latinam inter viros scientiarum peritos et technicos instaurandam:

**Vota Congressus Lugdunensis.** — Conventus Lugdunensis probat atque confirmat vota quae in Avennico Conventu sunt decreta; de argumento vero quod in Lugdunensi Conventu actum est, hoc est, «de lingua latina, communi vinculo humani cultus», haec quae sequuntur vota proponit:

I. *Ut lingua latina adhibeatur velut vinculum inter eos qui res scientificas tractant*, Conventus hortatur:

1) Ut summaria seu compendia quae scientificis scriptis, libris et commentationibus lingua vernacula exaratis, apponuntur, lingua praecipue latina fiant;

2) Ut scriptis scientificis rerum index latine scriptus addatur;

3) Consociationem UNESCO et alias Societates Internationales rogat, ut in commentariis et Conventuum Internationalium Actis latina quoque lingua in compendiis exarandis adhibeatur;

4) Consociationem UNESCO etiam rogat ut bibliographiam edat in qua brevissima prodeant summaria latina disquisitionum scientificarum.

II. *Ut lingua latina in humanioribus litteris excolendis vinculum sit inter doctos viros*, Congressus hortatur:

1) Ut antiqua docendi ratio, nova et activa ratione Latinae linguae tradendae renovetur et vividior fiat, ita ut scholarum Latinarum deminutionis damna sarciri liceat et ad acceptas methodos alia addantur exercitia,

quibus lingua latina adolescentulis jucundior reddatur, ut sunt: colloquia et sermones inter alumnos, scriptorum compendia, scriptiones latinae;

2) Ut alumni vocabularium primum pedetemptim et quasi per gradus in ipsis scriptoribus legendis adipiscantur;

3) Ut adolescentes assuescant scriptorum libros et ampliora fragmenta cursim legere; quare professores libellos legendos tribuant faciliores lepidosque praesertim discipulis junioribus;

4) Ut in superioribus scholis varii auctores legantur antiqui et recentiores vel ii qui de rebus scientificis latine scripserunt;

5) Ut consessus seu «stationes» etiam inter omnium nationum doctos viros instituantur, quibus magistri et discipuli fructus ad linguae latinae usum percipiant, immo quod fieri possit, scholae speciales constituentur.

III. *Ut lingua latina vinculum sit inter adolescentes*, Congressus optat:

1) Ut adolescentes eorumque parentes de praecipua utilitate edoceantur quae in excolenda lingua latina percipitur, cum ad animum conformandum tum ad ipsum rerum usum;

2) Ut adolescentes diversarum nationum, quibus alia forsitan sit animi indoles et conformatio, litterarum latinarum commercium inter se instituant, quo alios alumnos magis cognoscant eosque altiore amore prosequantur; ita quoque fiet ut sermo latinus ad mutuam inter omnium gentium consuetudinem et humanitatem fovendam maxime utilis sit.

Denique Conventus Lugdunensis socii maxime laudant et commendant commentarios, quibus index est «Vita Latina», qui, ut pridem, inter linguae latinae viventis cultores vinculum erunt.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

MARCEL DELANNOIS. — *Virgile. Le Chant VI de l'Eneide*. Wesmael-Charlier, Namur, 1958, p. 169.

Clarus vir M. Delannois qui de Vergilio perditu commentatus totoque pectore meditatusest, hunc lectoribus libellum offert qui, quamvis parva sit mole, res tamen perimultas continet et optimas, quae ab auctore —quasi cum animo suo continenter concoctae— vivido sermone et genere dicendi ornato exprimuntur et tractantur.

Habes in promptu summis virtutibus distinctum in VI Vergilii librum commentarium a cl. v. M. Delannois compositum in quo scite et litterate considerantur verborum subsidia, sensus moralis, religiosus, philosophicus, libri VI translationes, soni, vocabula poetica, rhythmus aliaque multa. Quare librum hunc perutilem et jucundissimum non tantum alumni sed et magistris futurum speramus.

Ut scriptor sub initium libri lectorem monet, et saepe in commentariis iterum memorat, res quae in libro VI Aeneidos evolvuntur aptissimae sunt quibus hujus aetatis alumni rectas probasque concipiant ac secum meditentur notiones et sententias ab ipso Vergilio tractatas et quadam luce illustratas: de dolore, de morte, de religione, de hominum gloria, de patria, de arte, de hominis fine et humano in terris et divino post mortem.

Sunt tamen pauci naevi seu menda, minima, quae in altera editione facile emendari possint, ut: in v. 43 deest verbum «aditum»; in v. 334 dicitur «*Lauscapim*» pro «*Leuscapim*», in v. 368 deest verbum «*credo*», in v. 717 legimus «*meorum*», in textu autem (p. 118), pronomem «*tuorum*» explicari videtur; in v. 743 affertur vocabulum «*amnes*» pro «*manes*»; in pagella 72 primum hemistichium v. 272: *Juppi/ter et re/bus...*, haud recte, ut patet, scanditur; sed ita est pedibus notandus: *Jupiter/et re/bus*.

Liber hic —quem Vergilii studiosis maximi aestimandum putamus— duobus indicibus

absolvitur: alter nominum, alter thematum quae alumni proponi possunt, in quibus optima inventient superiores alumni commentationibus suis aggredienda.

GANSINIEC-PARANDOWSKI-MORSTIN. — *Teofilakt Symokatta Listy: Theophylacti Simocattae epistolae morales rurales amatoriae*. — Państwowe Wydawnictwo Naukowe.

Theophylactus Simocatta scriptor graecus, qui saeculo VII vixit, epistulas scripserat morales, rurales, amatorias, quas Nicolaus Copernicus, peritissimus ille in re astronomica auctor et inventor —dum alia quam plurima curat— nitido elegantique sermone in latinum convertit.

Nunc autem hoc pulchro volumine continetur exemplar interpretationis latinae a Copernico exaratae, impressum Cracoviae in domo domini Johannis Haller anno salutis nostrae M.CCC.CC.IX —quod totum photographice suis germanis litteris describitur—, et nova codicis latini typis hodiernis descriptio, quam et textus primigenius graecus consequitur et translatio lingua polonica a H. Morstin exarata.

Hujus libri editores pergratam fecerunt rem litterarum graecarum et latinarum studiosis, suumque civem debito prosecuti sunt honore hanc evulgantes interpretationem, nam, ut monuit Copernicus, Theophylactus epistulas ordinavit «hoc sane considerans quod varietas prae ceteris delectare soleat, quod quidem diversa ingenta diversis rebus oblectentur».

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

JEAN VOLCKRINGER. — *Lexicum latinum-gallicum ad pharmacopoeas redigendas*. 1958.

Dr. Volckringer in Conventu Avennico —anno 1956— orationem seu relationem habuit satis elaboratam de verbis latinis pharmacopoliis et medicamentariis usurpandis; in

qua principia exposuit quibus verba latina sunt tandem constituenda (cfr. *Premier Congrès international pour le latin vivant*, 1956, Avignon). Clarus vir qui medicamenta componere optime novit et de lingua latina apud medicamentarios et pharmacopolas sedulo curat, lexicon paravit, quod Coetus Generali Bruxellis a 1958 congregando, ut videtur, exhibendum erat. Pleraque hujus lexicī verba probentur oportet. Si tamen per clarissimos illos medicamentarios licet pauca innum quae ad rationem verborum spectat.

Quam plurima verba terminatione *-um* finiuntur (*cocainum, paraffinum, penicillinum, peptonum, pepsinum, protainum, antipyrinum, aspirinum, streptomycinum, toxinum, coffeinum*, cet.) quae tamen desinendi ratio jam pridem in doctorum venerat controversiam (cfr. Johannes LAMER: ...*anilina, aspirina* apud Hispanos Italosque feminini generis sunt, in Germania vero neutrius; qui autem Germani non noverint linguas Hispanorum vel Italicorum mirabuntur non dici *anilinum, aspirinum*). PALAESTRA LATINA, 5 (1935) 129). Horum verborum genus femininum nobis maxime placet (cfr. *Latinitas*, 3 (1955) 103 sqq., ubi *penicillina, procaina, cocaina, aureomycina, streptomycina*, ceteris usi sumus); quod si doctores aliter rem decreverint, optandum ut terminatio feminina addatur quoque, ut fit in vocibus «*coffeinum sive coffeina*», «*aspirinum sive aspirina*». — Verba quae *-as* finiuntur (*nitras -atis, perboras, phosphas, salicas, arsenicas, citras, chloras*, cet. praestaret — ita nos censemus — in *nitratum, perboratum, phosphatum*, cet. mutari. Litterae *k* et *u* ab usu latino rectius removendae. «*Compressum et injectio*» proprius ad latinitatem accedunt quam «*comprimatum et injectabile*»; «*benzoe -oinis*» fortasse in *benzoë(s), is* mutandum; forma latina *neuter, ra, rum* retinenda potius quam «*neutrus*»; pro «*coffeino*» reponenda *cafeina*, aut saltem adji-cienda, et *pomata* (quae est apud Ducangium) pro «*pomatum*». Iterum recognoscendae voces «*oculentum*» (*pommade oculaire*), *tableta, rhum, cocos -osis, elixirium* (de qua voce *elixir* cfr. COROMINAS, *Diccionario critico etimológico de la lengua cast.* et TAGLIAVINI, *Le origini delle lingue neolatine*, 1952, p. 272)

Utinam et alia artium et disciplinarum

lexica quam primum in doctorum commodum et in linguae latinae incitamentum majusque incrementum evulgentur.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

JOSEF EBERLE. — *Laudes, carmina latina*. Tubingae, apud Rainer Wunderlich Verlag Hermann Leins, 1959. -

Josephus Eberle carminum libellum concinnavit quo «*modum gaudii terrestres paululum augere*» conatur, quem quidem finem satis assecutum esse arbitramur. Novus enim poeta, quanquam romanos vates — qui adstricta numeris pedibusque oratione usi sunt — novit eosque veneratione prosequitur, tamen suo modulo fides pulsare vult, cum munus poetae canere sit et intima animi sensa aliis patefacere; illamque insequitur viam quam haud pauci poetae medi aevi apud Germanos praesertim adhibuerunt et versus rhythmico sono et extremis syllabis consonantes pangit. Quid de nova poëseos ratione quidque de versibus Doctoris Eberle sentiendum ampla commentatione Josephus Ijsewijn ostendit (cfr. PALAESTRAM LATINAM, 39 (1959) 129), ubi et poetam dilaudavit et carminum exempla legitibus proposuit.

Ceterum, quanquam «*inimitabilia*» sunt veterum poetarum carmina, multi tamen illa pulchritudinis specimina conati sunt aemulari, et qui omnes saeculorum aetates percurrat nobilissimos facile inveniat poetas qui mira panxerunt carmina, haud optimis scriptoribus indigna. Liceat tamen novo poetae, liceat aliis nostrae aetatis scriptoribus alias tentare vias et rationes quibus dum animi sensa expromunt, latinam quoque linguam vividam esse, non mortuam, suis versibus comprobant. Nam Dr. Eberle totis viribus «*radices nostri cultus curare et alere conatur*» suaque sententia probe philosophatur: «*Cultus enim, inquit, et humanitas vigere non possunt, si homines memoriam originum suarum, moris majorum, historiae propriae deposuerunt*».

Nos quoque conatus illius clarissimi viri prorsus laudamus, qui dum acta diurna moderatur apud Germanos nobilissima occasionem nanciscitur ut latinitatem, cultus nostri

fundamentum, probatis argumentis suoque exemplo defendat. Idque in laudem scriptoris maxime cadit quod nova ejusdem libri paratur editio propediem evulganda.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

*P. Terencio Afro. Comedias: La Andriana - El Eunuco.* Texto revisado y traducido por LISARDO RUBIO, Catedrático de la Universidad de Barcelona. Volumen I. 1958. — Barcelona, Ediciones «Alma Mater».

Primum est hoc commodum volumen in illo corpore quod inscribitur «Colección hispánica de Autores griegos y latinos», quod omnes patrocinio hispanicae Universitates contuentur. Et magna scilicet, apud nostrates praesertim, de eo auguramur in ampliorem litterarum graecarum atque latinarum cultum.

Nobilissimae illae Terentianae comoediae, *Andria* et *Eunuchus*, lectoribus hic facilius pleniusque, modo latinus textus, modo vernacula conversio, delibandae proponuntur, atque in maximo quidem apparatu critico accuratissimoque studio comparatum. Clarus Barcinonensis Universitatis Professor L. Rubio hoc nobis volumen obtulit, cui et socii eo in edendo fuerunt Doctores Joannes Bastardas et Maria Cinta Catalá, in eadem studiorum Universitate Professores clarissimi.

Ampla libro praeit, atque ea erudita, introductio (pp. IX-LXXXIV) de vita P. Terentii A.; de natura legali ac materiali theatri romani, saeculo II; de opere litterario Terentiano; de Auctore dramatico; de fama Terentiana; de Terentii in hodiernas litteras auctoritas et momentum; de manuscriptorum traditione; de codicibus Terentianis in bibliothecis hispanicis; de editionibus Terentii; de editionibus hispanicis Terentii; de conversionibus hispanicis Terentii; de Terentiana bibliographia.

Tum Terentianae comoediae, *Andria* et *Eunuchus*, hinc latinus textus, inde hispanica conversio (pp. 1-197 «bis»). Singulis comoediis introductio atque commentarium, una cum apta synopsi, a clarissimo auctore annectitur. Quod bonum, felix, faustum latinis litteris sit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MGR. L. CERFAUX et P. HOUSSIAU. — *L'Antiquité - Le Proche Orient*, Castermann, Tournai — Paris, 1957, p. 173.

M. MICHAUX et P. HOUSSIAU. — *L'Antiquité - La Grèce*, Casterman, Tournai — Paris, 1958, p. 167.

M. MICHAUX et R. LOONBEEK. — *L'Antiquité - Rome*, Casterman, Tournai — Paris, 1958, p. 275.

Inter tot et optimos libros qui nostra aetate in lucem dantur quique de historia et classica cultura sunt, pauci — mea quidem sententia — inveniuntur qui tanto ordine et claritate, tanta simplicitate, brevitate et eruditione, tantoque mentis lumine perfusi sint, ut hi quos lectoribus summa animi voluptate offerimus. Summatim, sed singulari miraque perspicuitate, aliqua de geographia, de rebus ad rem publicam spectantibus, de religione, arte, litteris, scientiis uniuscujusque regionis id est: Aegypti, Mesopotamiae, Syriae, Palaestinae, Asiae Minoris, Persiae, Cretae, Mycenarum, Graeciae, Romae describuntur et exponuntur.

Via quam in his tractandis auctores sequuntur haec est: In pagella quae ad dexteram est lectoris, clare et pulchro genere dicendi historiam, artem, religionem atque, quae supra diximus, nitidissimis typis expressa, exponuntur; ad laevam vero lectoris manum, littera minore, notulae, indices, tabulae permultae, scriptorum classicorum et hodiernae aetatis loci, atque curiosa quibus maxime textus illustratur. Quam rationem res tractandi — ut altius in lectoris mente imprimantur — optimam et efficacissimam puto.

Praeter haec quae de his admodum elaboratis libris generatim diximus, aliqua spectatim de libro cui est index «*L'Antiquité-Rome*» addere debemus.

Et in primis tabulae depictae — numero septuaginta — tum ad antiquam, tum ad classicam aetatem spectantes, ad Romae historiam illustrandam et artem accurate sunt selectae.

Textus — clare, ordinate, simpliciter, jucunde, ut supra memoravimus, 275 pagellis expositus — summa est optima et compendium

artis, religionis, historiae et culturae populi Romani

En, benevole lector, si tua interest, hujus libri Romae dicati index generalis:

INTRODUCTION GÉNÉRALE (P. 9-23): I. *Le Cadre Géographique*. — II. *Le Cadre Historique*. — III. *Les Sources de l'Histoire Romaine*.

PREMIÈRE PARTIE: I. *Rome avant les grandes conquêtes I - De Rome à l'Italie* (p. 27-71); II - *La vieille âme Romaine et l'emprise étrusque* (p. 73-85).

DEUXIÈME PARTIE: I - *La formation d'un empire* (p. 89-183); II - *L'Apogée de Rome et l'emprise Hellénistique* (p. 183-213).

TROISIÈME PARTIE: *Le déclin: Le Retour à la terre I - La crise de l'empire* (p. 217-245); II - *L'agonie de Rome et l'empire orientale* (p. 247-259).

Libri hi tres concluduntur singuli nominum et rerum indicibus, tabulis et conspectu quodam totius libri generali ut facilius, uno obtutu, res legentis menti clarius pateant.

Gratulationes ergo maximas auctores merentur qui hos libros — optime et excogitatos et expositos — evulgarunt.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

#### CERTAMEN CAPITOLINUM VIII - MDCCCXVIII.

— Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis.

In hoc opusculo lucubrationes duae in Certamine Capitolino VIII praemio decoratae colliguntur: altera, cui est index «*Dies jam comitiorum subest*», a cl. Theobaldo Fabbri, in certamine victore, altera quae «*De taurorum agitatione*» inscribitur a Patre Felici Vallejo, S. J. conscripta.

Certamen hoc Capitolinum, ut superiora, ab «*Instituto Romanis Studiis provehendis*» celebratum moderatumque est, causa commemorandi diem natalem Urbis latinaeque linguae longe lateque per orbem et excitandi et reviviscendi studium.

Petitores omnino XXXXIII numero certamen adierant...; quod certamen habebatur de Lupa Capitolina ex argento efficta et de argenteo nummo (imaginem aedium Capitolinarum praebente. Collegium quinquivirorum perlectis collectisque petitorum libellis alios

a certamine seclussit, alios mentione honorifica ornavit, duos tandem libellos probavit et praemio Capitolino decoravit.

Ut in ipso commentationis titulo significat cl. auctor Theobaldus Fabbri nobis comitiorum in Italia dies finxit. Sergio amico comite, in forum «*Piazza Cavour*» ubi viri «*Liberales*» convenerant, oratorem auditum contendunt... Postea forum «*Piazza del Risorgimento*» quod nuncupant, petunt ubi «*Fascistum*» factio congregatur... Deinde ad plateam «*Garibaldi*» procedunt ad principem «*Communistarum*» audendum.

Tandem ad forum quod a Victorio Emanuele nomen habet iter faciunt. Conclonator «*partibus regio imperio faventibus*»... verba facit. Cenati ultimos suscipiunt audiendi labores. Ad forum cui nomen «*Martiri della Libertà*» pergunt ut ducem «*Socialismi popularis*» audiant...; et deinde ad forum maximum intendunt dum dux («*leader*») qui praestitit «*partibus popularium Christianorum*» contionem habet.

Orationes a partium ducibus habitae luculentissimae, ornatissimae, elegantiae et concinnitatis plenae — more Romanorum — sonant Ciceronisque tempora ad nos referre videntur.

Pater Felix Sánchez Vallejo S. J. «*amicis quibusdam Patavinis*» taurum taurum seu cursum taurorum describit. (Ut vobis — qui nova verba inducere et aptare cupitis — placebit!..). Aliqua summatim audite:

Ad plateam properemus... ut venustum spectaculum videre possis: subsellia spissa sunt, agitatores seu taurarii, splendentibus induti sagulis, populum et praesidem salutant, exit ex stabulo stupendus corniger.. Immittitur eques longo hastili armatus cui ferrata est cuspis. Ventendum est ad hamata spicula quae bina et bina in dorsum tauri figenda sunt... Postea taurarius ad taurum jam fessum accedit districto ense.., figitque penetrabile ferrum. Reboant omnes caveae gradus phrenetico plausu... cet.

Si vis ergo, ut amici Patavini, animum tuum per jucunde relaxare hanc P. Vallejo lucubrationem lege, perlege... In eo venustum et ornatum sermonem, elegantiam dicendi, lepidissima verba multa, varietatem miram et facilitatem tauromachiae notiones exprit-

mendi, aiacritatem quandam placidumque ingenium.

Laudes igitur et grates clarissimo Theobaldo Fabbri et Felici Vallejo S. J. quod tantum praemium meruerunt et has commentationes, maximi aestimandas, in lucem ediderunt.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

LYNN POOLE. — *La exploración del fondo del mar*. Editorial Sopena, Barcelona, 1958, pag. 178.

Hac nostra aetate, aurea vere dicta —quod ad maris profunda metiendi et cognoscendi studium attinet—, aetate qua vigent et undique florent, in Gallia, Italia, Hispania Statibusque foederatis Americae praesertim, societates seu coetus, quibus nomen est «clubs», ad res maritimas fovendas atque excitandas, pulchellum cl. scriptor Lynn Poole, in lucem edidit librum quem a capite usque ad calcem, curiose, lector, immotis palpebris leges:

Auctor 172 pagellis modo dicendi jucundissimo et dilucido historiam exponit, et submersionis pericula et praecipua praecepta urinatoribus in explorando seu inspiciendo maris profundo servanda.

Nostris diebus pinnae sufficiunt natatoriae guajaci (*caucho*) pedibus «hominis ranunculi» aptatae, fistula seu tubulus ad spiritum ducendum et ocularia quibus in mare non tantum immergere verum etiam ejus pulchritudinem, visu et inventu raram, contemplari possimus. Scaphandro libero et machina seu instrumento illo novo quod dicunt bathyscapham a clarissimo viro Augusto Piccard inventam, homo in posterum in maris profunda submergi poterit usque ad milia metrorum quinque circiter ad maris secreta, ut sunt specus, profundum, thesauros, metalla, genera belluarum, subaquaneas plantas, petrolei fontes. cet. exploranda.

Quae omnia particulatim descripta atque expicta, fabellis, historiunculis, mirisque vitae subaquaneae eventibus comitantibus, in hoc pulcherrimo libro invenies libentique animo leges.

Permultis et variis et lepidis tabulis a Johanne Bendick depictis capita collustrantur. Liber ab Antonio Ribera Societati Barcinonensi studiis subaquaneis provehendis adscriptus in linguam hispanicam conversus est.

En tibi, lector, praecipua capita quae mihi maximam delectationem attulerunt; 2, Novus et mirus mundus (p. 23-36); 3, Profundorum pericula (p. 36-52); 4, De «hominis-ranunculi» apparatu seu ornatu (p. 52-67); 9, Specus et antra (p. 120-131); 10, De thesauris absconditis (p. 131-144); 13, De profundis maris explorandis (p. 156-163).

Gratias igitur et interpreti et domui editrici «Sopena» agimus quod hunc optimum novumque librum in lucem ediderunt et in Hispaniam induxerunt.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

J. TILMONT. — *Atlas classique*. Collection Roland; Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1958.

Opus maximi quidem momenti de re geographica a praeclaro viro J. Tilmont, in disciplinis geographicis Doctore, iterum recognitum; in quo omnes orbis terrae regiones et nationes (tota Europa, Asia, Africa, tota America, Oceania, Australasia) perspicue et ante oculos ponuntur et adhibitis miris tabulis geographicis aptissime describuntur: montes et flumina, incolarum numerus, pluviae et caeli temperies, arborum stirptumque genus et numerus, metalla et fodinae, petroleum, gasum, carbones, animalia, et ea quae ad cultum, ad artes, ad oeconomiam, ad politicam, cetera quam plurima spectant: quae omnia, ut diximus, scitissimis tabulis pictis adumbrantur et quasi ante oculos explicantur quin multis opus sit verbis.

Optima ac selecta adhibetur charta quo facillime ante oculos vel minimae orbis terrae notiones geographicae proponuntur. Habent igitur librum alumni quem si saepe manu et oculis tractaverint, multa de rebus geographicis sine ullo labore ediscent.

A. MARQUÉS, C. M. F.



San Juan Crisóstomo. — *De la vanagloria y de la educación de los hijos. Homilía sobre Job.* Edición escolar de JULIO FANTINI, S. J. Perficit, Colegio de San Estanislao, Salamanca, 1959.

En opusculum scholare: quo linguae graecae alumni pedetemptim et jucunde in ipsius linguae cognitionem inducuntur. Duorum ibidem Sancti Joannis Chrysostomi sermonum textus graecus editur: De vana gloria et Educatione filiorum, et Homilia de Job.

Ad alumnorum autem commodum index libello additur formarum difficultum textus graeci. Hinc igitur textus graecus (pp. 7-42), hinc formarum index difficultum (pp. 43-81). Cum typorum nitore textusque arte critica, tum maxime clarissimi professoris linguae graecae J. Fantini auctoritate libellus commendandus

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

WILHEIM BRANDENSTEIN · MANFRED MAYROFER.  
— *Antiguo Persa.* Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Madrid, 1958, p. 43.

Institutum cui nomen «Antonio Nebrija», cl. viro Antonio Tovar moderante, hunc tertium Linguarum Indoeuropaearum opusculum in vulgus emisit.

Praeter praefationem (p. 3-16), in qua de veterum dialectorum persarum historia, amplitudine, bibliographia, litteris seu scriptura signisque, aliqua strictim tractantur, quattuor liber partibus constare videtur. in prima (p. 16-36) de accentuum, vocalium, consonantium legibus agitur; in altera (p. 36-80) nomina et verba late sed dilucide explicantur; sequuntur in tertia parte (p. 81-88) lingua persica scripta, de rebus a Dario et Xerxe in bello gestis inscriptiones quibus leges grammaticae usu exercentur; quarta denique pars (p. 89-143) vocabula continet praecipua inscriptionum seu *Lexicon verborum* quibus, ut facillius translatio hispanice reddatur, flexiones adduntur aliquae ad verborum tempora, radices, notulae, cet.

Grattam ergo maximam his virtus clarissimis habemus cujus opera, studio summaque diligentia corpus «*El Manual de Lingüística Indoeuropea*» in dies increscit.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

M. BIZOS et J. DESJARDINS. — *Cours de thème latin.* Editions Vulbert, Paris. 1959. p. 196

Liber hic pari consilio et mente plane conceptus est quibus «*Cours de thème grec*» a M. Bizos conscriptus quique ob ejus claritatem et brevitatem, in Gallia a scholasticis maximi habetur et usurpatur.

Quam linguae latinae Grammaticam lectori offero (...ut nos juvat hos et vovere et legere libros!...) bipartito est dispersita: in altera (p. 13-130) —quam «theoricam» dicimus— praecepta seu leges grammaticae duplici instructae serie, exemplis scriptorum classicorum quamplurimis illustrata, exponuntur pressoque dicendi genere tractantur. Altera pars continet: a) themata duodecim (p. 133-145) quibus doctrina seu normae priore parte traditae in usum inducuntur et applicantur; b) themata decem (p. 145-155) ex Caesare, Cicerone, Sallustio excerpta; c) quinque et viginti scriptorum gallicorum —Montaigne, Bossuet, Pascal, Boissier...— loci praecipui (p. 155-171).

Themata superiora, ut patet, conversiones sequuntur sive latine sive gallice a clarissimo J. Desjardins redditae. Quae omnia, humanissime lector, breviter, enucleate, distincte, ordinate et quasi quodam perspicuitatis et claritudinis luce perfusa —ut mos semper est apud Gallos— tractata, exposita, dictaque inveniunt.

Opus clauditur indice duplici alphabetico gallico-latino (p. 184-187) apto admodum ad Grammaticam facillius tractandam.

Quem librum a cl. latinitatis magistris M. Bizos et J. Desjardins excogitatum et conceptum summae utilitati efficacique adjumento nostris scholasticis fore putamus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

C. G. JUNG. — *El Yo y el Inconsciente*. Traducción directa del alemán, por el Dr. S. Montserrat Esteve. Luis Miracle, Editor. Barcelona.

Tertium jam lingua hispanica editur scitum hoc opus, clarissimi in scientia psychiatrica Doctoris C. G. Jung, quod cum honore prostat inter libros «Bibliothecae Anthropologiae», ab egregio Doctore Raimundo Sarró directae. Prooemium autem Ipsi Dr. Sarró libro praeit, de processu vario operis Dr. C. G. Jung in psychologia medica (pp. 5-41).

Jam vero in scientifico, eoque uberrimo, partu nobilis psychiatriae Jung, ab anno 1902 ad annum 1950, duo tempora cursusve distinguere possumus: in altero ferme vestigia premit magistri de re Freud, aut synthesim conterege intendit inter Freud atque Adler; in altero vero ab omni tutela discretus, sui ipsius afficitur spiritus foecundus Jungianus: proprium nempe scientificum systema creat conspectu quodam psychologico, qui quidem et mentis potentia et profunditate cum scientifica creatione eorum auctorum contendit, idque felici exitu, haud paucorum sapientium sententia.

Atque opus certe apex vel fastigium hujus periodi scilicet Jungianae est liber hic, cui inscriptio lingua hispanica «El Yo y el Inconsciente», primigenia autem lingua «Die Beziehungen zwischen dem Ich und dem Unbewussten». In duas partes opus dividitur: prima est de Actione Inconscientis in Conscientiam, hisque capitibus:

I. *El inconsciente personal y el colectivo* (51-69). II. *Los fenómenos consecutivos a la asimilación del inconsciente* (pp. 71-96). III. *La persona como recorte de la psique colectiva* (pp. 97-108). IV. *Intentos para librar la individualidad de la psique colectiva* (pp. 109-124).

Alteri libri parte agitur a sapienti scriptore, de «Individuatione»: his autem quattuor capitibus. I. *La función del inconsciente* (pp. 127-149). II. *Anima y Animus* (pp. 151-186). III. *La técnica de diferenciación entre el «Yo» y las figuras del inconsciente* (sp. 187-208). IV. *La personalidad-maná* (pp. 209-230). Optimi et elaborati indices consequuntur de vita aucto-

ris, de operibus eorumque hispanicis conversionibus.

Liber hic unus in disciplinae psychologicae provincia, ubi in unum rediguntur triginta maximi laboris atque studii anni, tanquam fructus inspirationis poëticae religiosae videntur.

Sententiae ibidem expositae, non tantum initium fuerunt novae viae ad scientiam psychoterapicam maximi momenti, verum etiam processum criticae provocaverunt et renovationis in cultu nostro occidentali, cuius quidem consecutio utilissima esse potest. Tandem in hodiernis sapientis Jung cogitatis et sententis forsitan primum, in historia culturae, psychologia Orientis et Occidentis sibi mutuo fecunditatem auferunt ad novam imaginem confingendam animae humanae, eoque completae et integrae, sine illis mutilationibus, quibus altae scholae subditae adhuc fuerunt.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

P. TERENCI AFER. — *Comédies*. Volum II. *L'Eunuc*. — Volum III, *Formió*. Text revisat i traducció del Dr. Joan Coromines en col·laboració amb el D. Pere COROMINES. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1958.

Dr. Petrus COROMINES morte correptus est cum, primo Terentii volumine in hoc scriptorum Corpore edito, alias Terentii comoedias edendas curaverat. Nunc ejus filius JOANNES — tanto viro dignissimus — patris opus insequi instituit, patris vestigia firmo gradu premens. Uterque utramque linguam penitus agnoscit, uterque scriptum primigenium inter codicum variationes enixe conquisivit, uterque totam Terentii vim et salem exprimere sermone vernaculo est conatus et in fortunatum eventum perduxit. Juvat tam veterrima latinitatis opera legere et animo comprehendere ac si hac fere aetate nostra nostraque lingua scripta essent. Haec sane mirifica est in his catalaunicis conversionibus virtus. Inter tot optima hunc naevum vidi, qui tamen haud magni est momenti, versum 19 *Phormionis* non reddi.

Horum voluminum alterum *Eunuchum* praebet, tertium *Phormionem*.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. V — (FASC. IV) — N. 20

M. DECEMBRI

A. MCMLIX

### NOS IN TRICLINIO CENAMUS

Cena apparatus est, et omnes cum domino ad triclinium accedunt. Ti. Flavius praedit signatque domus loca; ipse nostram de «triclinio» proferet explicationem.



Majores nostri —ita Flavius— in atrio, in tablinum quondam cenabant... Sed triclinium, quo nos aestivo et autumnali tempore utimur, ad porticum est situm, cujus et columnas conspicitis et velum quod protenditur ne solis ardor discumbentium capitibus noceat. Hiberno tempore lecti ad cenandum in atrio sternuntur ubi frigoris vis est temperatior. Veteres mensae assidebant cenam sumentes; deinde, ut apud Graecos, mos invaluit ad mensam discumbendi; quondam feminae cum viris cubantibus sede-

bant; nunc vero vel ipsae mulieres cum viris ad mensam accumbunt; pueri tamen ad lectorum fulcra, servi vero in subselliis assident. Viro romano probro esset et dedecori cenam sedendo sumere.

Lecti, quibus ad mensam accumbimus, tricliniales vocantur; mos est in conviviis lectos tricliniales apparandi, qui singuli trium discumbentium sint capaces: (haud raro tamen discumbentes, singuli unum occupant lectum —quod in pictura videtis—).

*Quis ex vobis —pueri, puellae, adolescentuli— cum puero anglico aut puella quattuordecim aut quindecim annorum per litteras latine scriptas consuetudinem et amicitiam inire vult? Responsum expectant quindecim pueri Angli...*

## ADVENIUNT FESTIVI NATALIS DNI. DIES...

His festivis Natalis Domini diebus omnes insolita quaedam perfusi sumus laetitia, quia Christi Nativitatem summo gaudio omnes agere desideramus.

Quid autem dicam de illa jucundissima qua pueri domi apud parentes fruuntur laetitia? Quid de voluptate quam parentes et filii ludos agentes aut munuscula inter se mittentes et donantes, ex festis Natalicis percipiunt?

Quid quoque de illa laetitia dicam qua urbes publice abundant? Ex utraque viarum parte tabernae, mira dispositae arte, aliae cuppedias omne genus exhibent, aliae crepundia et puppas quae magnum pueris et puellis oblectamentum praebent; hic aurea poma ex arboribus pendentes, illic stellae candidam lucem effundentes tres Magos Bethlehem ducunt...

Attamen, optimi pueri, hoc est mihi propositum quod vobis summae voluptati futurum spero: de moribus qui in Europa tempore Natalis Domini perhibentur, praecipua vobis narrare.

Apud nonnullas gentes Natalis Domini —nescio tamen qua mira congruentia— cum festo clarissimi Sancti Nicolai Episcopi et Confessoris, conjungitur...

Sanctus Nicolaus, qui a Germanis, Anglis, Danis, Helvetiis appellatur «Sancta Claus», natus est saeculo quarto Mirae in Asia Minore, in urbe flumine Xantho irrigata, ubi cotidie suam Phoebus effigiem videbat, et comam spissam Achilles linxisse dicitur, et Artemis venatrix... ἀγγρίων Δέσποιν' Ἄρτεμι θερῶν (DIEL, *Fr. I*), ut Anacreon scripsit, sitim restinguibat...

Hic S. Nicolaus natus est, hic suam egit mirabilem vitam, beneficia in pauperes et in alios, calamitatibus vel infirma valetudine oppressos, praesertim in pueros et juvenes conferens, unde nomen amici, benefactoris patronique puerorum obtinuit. Saeculo autem undecimo mer-

calores quidam corpus S. Nicolai eripiunt Bariumque transferunt. Jam tum innumerae de illo — cum Natali Domini conjunctae— lepidissimae fabulae, in Europa praecipue, ortae sunt, quarum nos nonnullas narrabimus quae, quamquam pueriles simplicesque videntur, tamen tum pueris, tum senibus —his diebus Natalicis rursum repuerascere senes dicuntur...— magnam voluptatem praebere poterunt.

Apud gentes FINNIAE, NORVEGIAE, SUECIAE mos est ut die festo S. Nicolai pueris strenae dentur. Omnes, etiam parvuli, sciunt SINTERKLAAS mitratum, albo equo vectum, argentea ornatum barba, baculum in manu habentem, super tectis suaviter equitare atque per fenestras, multa nocte, domos ingredi, armigero eum comitante nomine «Pikkie», qui in saccum pueros non bonos immittit...

Hoc vero die domorum januas S. Nicolaus laetus pulsatur... Pueri qui eum ad portam pulsantem vident, suavissimis concinunt vocibus:

«O Sinterklaas, vir optime et sanctissime, offer nobis mala et pira, sculponeas nostras cuppediis imple...».

Deinde senex argenteis capillis, voce mysterii plena ita interrogat:

—«Sunt hic mali pueri?» Quibus verbis pueri respondent:

—«Non sunt, bone Sinterklaas, non sunt; omnes hic optimi sumus».

Tum Sinterklaas dulcia et crustula et nuces... pueris distribuit aliamque domum petit.

In aliis Europae regionibus —in LETHONIA, LITHUANIA...— S. Nicolaus ipsa Natalis nocte, candidissimo angelo comite, pueros et puellas invisit, quos crepundiis, puppis luteis, stellulis argenteis, dulcissimis bellariis donat.

Apud BELGAS pueri in usu habent avenam in catinis, prope januas vel fenestras positas, —quia hic non equis sed rhenonibus vectus S. Nicolaus venit—



albis rhenonibus seu tarandis parere...

GERMANI, GALLI, AUSTRIACI, ANGLI gaudium et praecipuum oblectamentum, his festis, ex arbore natalicia, quam «NOEL» vocant, percipiunt. Die vicesimo quarto mensis Decembris parva arbor, pinus persaepe, viridi fronde vestita, secatur, domum deinde asportatur, filiisque nescientibus, in exedra vel cenaculo terrae affigitur. Floribus postea, candelis, stellulis, campanulis, quae suavem sonitum praebent, cuppediis, byssinis pilis, crepundiis aliisque rebus decoratur. Post Missam, quam «Galli Missam» dicunt, arbor pueris et puellis exhibetur; qui admiratione affecti laetitiae profundunt clamores... Tum coram hac Natalis arbore, illi concelebrari domesticos conventus incipiunt, qui per totum Natalis tempus producuntur.

HUNGARI affirmant nocte ipsa Natalis fulgidum de caelo angelum descendere et per fenestras — in manibus canistrum donis plenum portantem —, puerorum cubicula adire...

POLONI autem narrant pulcherrimam mulierem veste nivea indutam quam vocant «Stellulam», pridie Jesu Natalis, ad pueros optimos cum muneribus venire.

Pueri RUSSI caelestem sagam, scoparum fasce vectam, de caelo descendere putant atque magno cum amore pauperes et miseros pueros visitare donaque eis tribuere.

Tota denique HISPANIA — ex memoria hominum — sexto die mensis Januarii ab omnibus pueris festum celebratur trium Magorum qui ex Oriente ad Puerum Jesum cum muneribus venerunt. Superiore nocte pueri calceos, soleas faeno impletas, in fenestris vel solariis collocant... Media autem nocte Reges equis vecti transeunt et in calceis dona, cuppedias, aliaque munuscula relinquunt...

His igitur Nataliciis Domini festis, quae omnibus — pueris praesertim — et pergrata et jucunda et sancta praebent oblectamenta, animis gaudii plenis, perfruemur.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

# HORATIUS



Porsenna rex Etruriae, cum putaret utilissimum Tuscis fore regem ex Etrusca gente in Urbe esse, infesto exercitu Romam venit. Senatus vero cives concordés adeo continuit ut regium nomen Romani in dies magis horrerent.

Cum hostes adessent, Urbs magnis praesidiis munita, ex alia parte muris, ex alia Tiberi tuta videbatur. Pons autem sublicius iter paene hostibus dedit, nisi vir unus, Horatius Cocles, unum munimentum Urbi fuisset.

Positus forte in statione pontis, repentino impetu Janiculum ab hostibus occupatum videt, dum trepida turba commilitonum arma ordinesque relinquens aufugit. Singulos hortatur ne deserto pontis praesidio fugiant; aliter jam plures hostes in Capitolio quam in Janiculo erunt.

Itaque eos admonet ut pontem ferro, igni, quacumque vi possent, interrumpant, praedicens se impetum hostis suo corpore excepturum. In primo aditu pontis constitit eoque miraculo audaciae obstupescit hostes.

# COCLE S

Horatius Cocles, cum primam telorum procellam sustinuisset, circumferens truces minaciter oculos ad proceres Etruscorum, singulos provocare et increpare incepit quod superbis regibus servientes, suae libertatis immemores, alienam oppugnatum venissent.

Hostes deinde ob tanta convicia pudore commoti, magno clamore sublato, undique in unum hostem tela conjiciunt. Jam impetu conabantur detrudere virum, cum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum hostes subito pavore sustinuit.

Tum Cocles: «Tiberine pater, inquit, te, sancte, precor, haec arma et hunc virum militem propitio flumine accipias». Ita armatus in Tiberim desiluit, multisque superincidentibus telis, incolumis ad suos flumen tranavit, qui eum magna laetitia receperunt.

Urbs grata erga H. Coclitem ob tantam virtutem tantumque facinus ejus statuam in comitio posuit eumque agris donavit. Privati quoque cives maximis honoribus Coclitem cumularunt et unusquisque, quamvis in magna rerum inopia, ei aliquid pro domesticis copiis, contulit.



## MISCENTES UTILE DULCI

## DE SEX TESTUDINIBUS

Testudines sex, quae una in silva vivunt, iter facere animum inducunt. Iter triginta annos ducitur. Esurientes tandem in aperto manticam (*mochila, hisp.*) - *bissac., gall.*) aperiunt..., at sal desideratur.

Joanna, natu minima, domum recurrere debet ut salem petat. Quae: «Volo, inquit, ea lege ut de symbolis edere (*comer a escote - par cotisation*) expectetis, dum redeo».

—«Esto. Expectabimus».

Quinque anni..., decem anni... viginti anni transiunt. Sorores quinque de Joanna paulatim sollicitantur, quia nondum rediit. Iterum iterumque circumspiciunt, at tandem, dum illa moratur, unicum panem comedere statuunt.

Tum vero: «Suspicata sum vos ita acturas esse» —Joanna subito clamat lenteque e fruticeto arripit—. «Si expectare non vultis, ego non eam».

*Leonia Kempis*

III c. alumna Lycei catholici Sororum Stae.  
Ursulae in oppido Lyrensi (in Belgio)

IN DEMENTIUM  
VALETUDINARIO

Haec vox auditur:

—Ego sum rex: Idque Deus mihi dixit.

Repente hoc responsum datur, quod omnibus metum infert:

—Mendactum! Quando hoc tibi dixi?

—Quid facis? Medicus tibi dixit: «Noli vinum bibere», et tu illud adhuc bibis.

—Certe, sed nunc mihi proptino.

SORIANUS CAESARAUGUSTANUS  
III c. alumnus

Caecus quidam cum olivas comederet puerum alloquens:


—«Pedesne, inquit, habent olivae?»

—Minime.

—Tunc igitur bestiolam exedi.

J. H. LÓPEZ  
Artaxone III c.

## VERBORUM AENIGMA



In transversum. — 1, Lato - Pugio; 2, Praepositio Palatium Et; 3, Consonans Urbs romana Vocalis; 4, Finis Consonans Cons. Jurgium; 5, Navis a Minerva picta Exeo; 6, Consonantes Nato (*litt. vers.*); 7, Abii (*litt. v.*). Arabiae mons; 8, Haud Cons. Vocalis Litterae

## EUDAMIDAS ET

## PHILOSOPHI VIRTUTEM QUARENTES

Cum Eudamidas senem Menecratem vidisset, qui una cum discipulis in Academia philosophabatur, rogavit quis esset; cumque illi responderetur virum esse doctum, eorum qui virtutem quaerent, «Quando igitur illam colet, inquit, si etiam nunc quaerit?»

JESUS M. MARTÍNEZ  
Celsonae. Philosophiae alumnus.

e v. Isac; 9, Praepositio Sedes Consonans; 10, Pronomen Servator mundi Pronomen; 11, Avts Crastina lux.

In perpendicularum. — 1, Ungo No. 2. Utrum Fulguro Coniunctio; 3, Consonans Onus Abi; 4, Finis Cons. Cons. Si vis; 5, Igitur Gladio; 6, Consonantes Coniunct. (*lit. V.*); 7, Exii (*l. vers.*) Madidus (*l. vers.*); 8, Litterae e v. sano Cons. Exi Litterae e v. esca; 9, Abi Aleatoris (*genit.*) Cons.; 10, Et (*l. vers.*) Propheta Sed (*l. vers.*), 11, Bini consuent.



# BETHLEM, PASTORES VENITE!

Pueri in tres choros distribuuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras (A-B-C) ex ordine canere incipit

Beth-lem, Beth-lem, pas-to-res ve-ni-te, Beth-lem, Beth-lem, ad cu-nas Pu-e-ri Beth-lem, Beth-lem, pas-to-res, ve-ni-te, Beth-lem, Beth-lem, ad cu-nas Pu-e-ri! La, tra la la la la tra la la la la tra la la la la la la la tra la la la la tra la la la la la!

## PIRATA ET ALEXANDER

Pirata captus Alexandro Magno sistebatur. Cui rex:

•Quare maria infestare et navigantes bonis spoliare audes?•

Ille: «Ego pirata nominor, quia id unico navigio facio. Tu, cum idem factas magna classe, rex appellaris».

Rex responsum praedonis admiratus vita eum donavit et dimisit.

N. MANGEOT

## TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5	6
1						
2						
3						
4						
5						
6						

- 1 Saturnia terra
- 2 Pronomen
- 3 Nutris
- 4 Causa
- 5 Pronomen
- 6 Interjectio

## QUARE ADAMUS EJICITUR E PARADISO?

Magister in periculis interrogat puerum:

—Quam ob rem Adamus et Eva ejecti sunt e Paradiso?

Puer paululum meditatus, statim respondet magna animi tranquillitate. —Quia non poterant solvere villico.

## CALCITRAVIT ASINUS..

—Rosulaaa! affer mihi lampadem manualementricam, nam asinus calcitravit et nescio utrum praesaepulum laeserit an pectus meum...

Barbastris.

C. GREGORIO, Vi c. alumnus

## LACRIMARUM EXSICCATOR

—Intuemini hunc hominem qui nunc in secundo sedium ordine sedet —Inquit adstantibus mulieribus auctor jocosus —; multas lacrimas Parisiis abstersti».

—Deus illum remuneretur, respondet quaedam mulier; quisnam est homo ille?

—Est sudartorum seu mucinorum venditor.

## AD SALTUM ECULEI

PU	AS	DE	CIT
■	MA	PLE	■
NAS	RAS	PI	US
NUS	NON	AS	■

A. M. ANDRÉS, C. M. F.

Nullus eum deflevit; sed aufer syllabam, omnesque illum amare flent; deme alteram et quasi luctus erit; denique vox restat duabus constans syllabis a verbo «reor»

Quis est?

-IN-DE-PLO-RATUS.

EM. PELÁEZ

alumnus in Seminario Vallis Dei, in Asturia

## PER TELEPHONUM

Medice: pro tua humanitate, potesne quam primum in domum meam venire? Puer enim meus pennam scriptoriam exsorbuisset. — Quid interim faciam?

*Medicus.* — Interim potes graphio (*lá-piz*) scribere.

*Nunquam ursum mulseris, nisi in tapetem conversum.*

-Hoc caput mihi videor jam alias vidisse.

-Minime, amice; hoc semper in umeris fero.

PATRICIUS ATEBÁ

Cervariae.

III<sup>o</sup> c. a. Guineensis

## DOMI, SCHOLA FINITA


*Filius.* — Mihi placuisset, pater, temporibus Ciceronis vixisse.

*Pater.* — Optime, fili mi; idque qua de causa?*Filius.* — Quia Ciceronis epistulas tunc pla-

ne intellexissem neque opus fuisset illas in hispanicum vertere.

I. A. NAVASCUÉS

Artaxone.

IV<sup>o</sup> c. alumnus

-Duodecim nuces tibi do ut eas cum fraterculo divides. Quot nuces illi erunt?

-Quattuor.

-Dicisne quattuor? Nonne numerare scis?

-Ego utique, mi domine; minime vero fraterculus.

Vallibus.

JOSEPHUS MELÉ

## SOLUTIONES

(Cfr P. L. 1959 fasc. III, p. 185-187)

(P. ADULESCENTIUM. n. 19, p. 29-31)

PECTEN:

*Laconia:* a) Lari; b) Cteo; c) Nilo; d) Ager-

ABACUS VENEFICUS:

«Quem rectitas meus est, o Fidentine, libellus/ Sed cum male rectitas, incipit esse tuus». (*Martialis*).

AD SALTUM ECULEI:

Qui diligit proximum legem implevit et qui odit fratrem suum homicida est.

AENIGMA VERBALE:

*In transversum:* 1 per, mea; 2 m, niveus, i; 3 ut, vias, at; 4 sum, me, ibo; 5 mos, uti; 6 tre, tum; 7 uda, na (=an), sum; 8 ta (=at), rora, se; 9 i, renodo, o; 10 deo, Osi.

*In perpendicularum:* 1 mus, uti; 2 p, tumida, d; 3, en, mora, re; 4 riv (=vir), se, reo; 5 vim, non; 6 eae, aro; 7 mus, ut, ado (=oda); 8 es, itus, os; 9 a, abimus, i; 10 ito, meo.

-Solutiones miserunt: GEORGIUS GURTART et JESUS LLOMPART, e Collegio Claretiano Barbastrensi.

# BIBLIOGRAPHIA

LAZZARINI, ANDREA. — *Juan XXIII, Angelo Giuseppe Roncalli*. Traducción de JUAN RUIZ CALONJA; 152 págs. 12'4 x 20'2 cm. 26 fotografías y un frontispicio. Rústica' ptas. 60. Tela, 90. Editorial Herder, Barcelona, 1959.

A mense octobri anni 1958, quo Emmus. Pater Cardinalis Roncalli creatus est Pastor Supremus totius populi christiani, nomine Joannes XXIII, ejusdem apostolicus zelus et animus ingenuus qui facile ex ejus venerabili facie percipitur, omnium amorem in illum converterunt. Ex quo unicuique fidelium maxime cordi erit humanam regnantis Papae vitam cognoscere. Hanc autem cognitionem nobis aptius hic liber, clarissimi viri Andreae Lazzarini, copiose praebet.

Scito in volumine 152 pagellarum, ante oculos sese lectoris evolvunt adjuncta omnia vitae Cardinalis Roncalli: Capellanus castrensis in primo universali bello; Professor Seminarii atque eruditus Historicus; Promotor Actionis Catholicae et motus socialis christiani; Vir expertus magnarum quaestionum missionarium; atque Venetiarum Patriarcha.

In decursu ejusdem actionis, dignoscitur Sacerdos integer. Qui modo, Supremus Ecclesiae Pastor, id maxime esse intendit: Pastor animarum fidelium, Pastor sollicitus ac peramans gregis sibi a Deo ipso concrediti.

Opus denique ditatur copiosis notis, quae referuntur ad relationes historicas, documenta, bibliographiam, praesertim vero ad scripta Cardinalis Roncalli. Pars vero graphica selecta est inter magnam materiei copiam, ubi exstant photographiae magni ponderis et momenti. In editione hac hispanica duo colliguntur monumenta in quibus Cardinalis Roncalli monasterium B. M. V. Montseratensis invisit. Tenor operis typographicus perquam accuratus jucundiorum librum lectoribus certe facit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

SCHREYER, LOTHAR. — *Inés y los Hijos de la Loba*. Traducción de JOSÉ M.<sup>a</sup> BALIL GIRÓ. 336 págs. 12'4 x 20'2 cm. Rústica, Ptas. 75. — Barcelona, Editorial Herder, 1959.

A prima hujus libri pagina, lector rei novitatem percipit. Classica enim narratio ansam praebet compositioni processus historicae, cui subdita est Beata Agnes: puella illa martyr, quae 1600 abhinc annos vitam Romae in christiana fidei confessionem obtulit.

Qua animorum motione operis cursus ab initio procedit, ea certe in toto libro non minuit; lector sese adesse cuiquam eorum processuum credat, qui hominum identidem multitudines commovent atque alliciunt. Tribunalis actus, sententiae peritorum, testium declarationes atque ipsius martyris; colloquia in carcere habita; mandata secreto ab imperatore data; agentium nuntia secretorum; litterae patris Agnetis, qui paganus erat, supremo magistratui advocatoque defensori datae; litterae a nobilibus Imperii romani viris scriptae; breves, atque eae tenerae, Agnetis ejusdemque amicae Emerentianae, schedulae; textus ex diario Sanctae excerpti; christianorum sermones atque orationes: ea omnia multicolores lapillos exprimunt, quibus egregius libri scriptor novit exornare vermiculatum opus, quod nobis personam nobilis illius virginis exhibet, quae, etsi paucorum annorum aetatis, ad summam sanctitatem pervenit.

Facilius animo percipies illius temporis res esse ad unguem ibidem evocatas. Praeter historiam persecutionum in christianos, lector in hoc opere id habet, quid virgo Agnes significet vel ad juventutis nostrae aetatis educationem; atque rationem detegit ob quam exemplar hoc puritatis, fortitudinis, fidei sane christianarum peramemus.

In contexendo toto opere verum cum animorum permotione scriptor mire conjunxit, quo avidius et maxima delectatione liber legitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

# Cursus linguae latinae Polyglophonus C C C

Nuper in lucem est editus *Cursus linguae latinae Polyglophonus CCC*.

Magistri et alumni novam in promptu habent rationem qua facilius, jucundius, altius linguam latinam assequantur.

Præcipua autem virtus hujus novae rationis in eo est posita ut lingua latina tradatur et ediscatur sicut aliae hujus aetatis linguae patriae *per sonum et imaginem*, id est et dialogos audiendo et res inspiciendo. Inspicies autem mirificas pulchrasque picturas quibus tota Romanorum vita privata et publica in singulis fasciculis ante oculos proponitur et evolvitur; verborum autem lexicon, rerum depictarum index, illis picturis praepositur. Audies etiam discos phonographicos quibus arbitrato tuo eadem repetens et in memoriam reducens, verba et locutiones percommode mente percipies.

Grammatica vero ratione quasi auxiliari traditur ac, quae in disco sunt prolata, subinde commemorantur et secundum leges grammaticas explicantur.

Atque illud sane praecipuum in hac nova latinitatis ediscendae via quod alumnus statim in ipsos Romanorum mores inducitur: nam picturis et dialogis id efficitur ut alumnus altam percipiat animi institutionem, non tantum e lexico latino, sed ex ipsis rebus quibus Romani litteras artesque nobis tradiderunt, quibusque cultus et humanitas viri eruditi constituitur.

Si vis ergo in lexicon latinum, in verborum origines, in leges grammaticas, in Romanorum vitam penetrare; si jucunde, sine multo mentis labore, optas ut praecepta linguae latinae menti inhaereant, hac nova utere via et ratione.

In nullo Collegio, Instituto, Lyceo, Seminario deesse debet novus *Cursus linguae latinae Polyglophonus CCC*.

## PRIMA PARS

constat 6 discis minutis sulcis incis (microsurco - microsillon),

aut 12 discis grandibus sulcis incis (normales),

12 libellis in quibus picturae, dialogi, leges grammaticae, verborum origo seu etymologia, monita et praecepta proponuntur quibus syntaxim percipias et scriptores classicos convertas.

12 folia adnexa quibus exercitationes cujusque libelli perficias; has vero exercitationes ad *Moderatores Polyglophoni CCC* mittes qui ad te recte emendatas iterum deferendas curabunt.

## PRETIUM, PRIMA PARS:

12 libelli cum discis in capsula chartae crassae (*cartón*) venit 1325 pesetis.

in theca «plastica» (*plástico*) venit 1425 »

De omnibus te certiore facient PALAESTRAE LATINAE Moderatores: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca-España)

CURSUM LINGVAE LATINAE POLYGLOPHONUM C C C

edidit **C**onsociatio ad animi **C**ultum **C**ommercio epistularum  
adispendum **CCC**

**CENTRO DE CULTURA POR CORRESPONDENCIA C C C**

Apartado 108 - SAN SEBASTIAN (España)